DE GENERE QUODAM
TITULORUM COMOEDIAE ATTICAE

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA

HONORES

AB ILLUSTRISSIMO UNIVERSITATIS BASILIENSIS

ORDINE PHILOSOPHORUM RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS BREITENBACH

BASILIENSIS

BASILEAE 1908

EX OFFICINA WERNER-RIEHM

DE GENERE QUODAM
TITULORUM COMOEDIAE ATTICAE

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA

HONORES

AB ILLUSTRISSIMO UNIVERSITATIS BASILIENSIS

ORDINE PHILOSOPHORUM RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS BREITENBACH

BASILIENSIS

BASILEAE 1908

EX OFFICINA M. WERNER-RIEHM

Genehmigt von der philologisch-historischen Abteilung der philosophischen Fakultät auf Antrag der Herren Professor Dr. H. SCHÖNE und Professor Dr. F. MÜNZER.

BASEL, den 4. März 1908.

FERDINAND SOMMER
Dekan.

Quanto impetu quantaque licentia scriptores veteris, quae vocatur, Graecorum comoediae in homines aequales atque eos inprimis, qui in re publica gubernanda versabantur, invecti sint, ita, ut quasi ad propriam eius naturam atque indolem hoc pertinere videatur, non ignorat, quicunque comoedias Aristophaneas perlegit. Totae comoediae in unum quendam virum illudendum scribebantur, in singulis actibus homines inducebantur spectatoribus noti, a ceteris ut deriderentur atque verberibus e scaena eicerentur (velut in Pace et Avibus), a choro in parabasi aut singulis canticis, qui poetae displicent, perstringuntur, actorum diverbia conferta sunt iocis maledictisque, quae in certos quosdam homines coniciuntur: nec maximis nec potentissimis neque optimis parcebat petulans comicae Musae minister. Pro iure atque ipso officio hoc habebant et Aristophanes et eius aemuli (cf. e. g. Arist. Eq. 1274/5 λοιδορῆσαι τοὺς πονηροὺς οὐδέν ἐστ' ἐπίφθονον, | ἀλλὰ τιμὴ τοῖσι χρηστοῖς, ὅστις εὖ λογίζεται, vel Ran. 354 εὐφημεῖν χρὴ κἀξίστασθαι τοῖς ἡμετέροισι χοροῖσιν, ὅστις . . . . (v. 367) τοὺς μισθοὺς τῶν ποιητῶν ῥήτωρ ὢν εἶτ' ἀποτρώγει | κωμῳδηθεὶς ἐν ταῖς πατρίοις τελεταῖς ταῖς τοῦ Διονύσου), idem in tractatibus illis antiquis, qui sunt de comoedia, paene unicum veteris comoediae argumentum dicitur (cf. e. g. Platonius § 10 (Kaibel CGF I, p. 5) ὑποθέσεις μὲν γὰρ τῆς μὲν παλαιᾶς κωμῳδίας ἦσαν αὗται, τὸ στρατηγοῖς ἐπιτιμᾶν καὶ δικασταῖς οὐκ ὀρθῶς δικάζουσι καὶ χρήματα συλλέγουσιν ἐξ ἀδικίας τισὶ καὶ μοχθηρὸν ἐπανῃρημένοις βίον). Neque alia re magis a quinti saeculi comoedia posterioris aetatis opera discernuntur, quam quod illa consuetudo

paulatim recessit atque prorsus fere evanuisse videtur: cf. Ed. Meyer, Gesch. des Altert. V 327: „Die Politik und die persönliche Invektive tritt ganz zurück (in media comoedia) bis auf gelegentliche Anspielungen auf Zeitereignisse und stadtbekannte Persönlichkeiten wie in unsern Possen.“ Quod recte dictum esse, si rem universam spectas, sane non est, cur neges. Antiphanum et Alexidum aetate vix quisquam tanta acerbitate vexabatur, quanta Pericles Cleo Hyperbolus Alcibiades alii a Cratino et Eupoli et Aristophane. Urbis clade etiam comoedia de pristinae magnificentiae fastigio deiecta est. Pecuniae inopia pressi cives non eadem qua antea liberalitate exornare poterant chorum, atque eius potissimum inde a primordiis, ut videtur, comoediae propria fuerat illa ἰαμβικὴ ἰδέα. Qui qualem ad humilitatem sit redactus, iam e postremis ipsius Aristophanis fabulis, Ecclesiazusis et Pluto, cognoscimus, neque umquam in pristinam dignitatem restitutus est, quamvis per longum temporis spatium vitam perduceret.[1]) Atqui mirum est, quod aetate Demosthenis et Aeschinis, qua non minus vehementer quam temporibus belli Peloponnesiaci sese impugnaverunt, qui contrarias de salute rei publicae profitebantur sententias, non plures undae his procellis exortae in aequalem comoediam influxerunt, quantum quidem e fragmentis servatis licet iudicare. Cuius rei causas qui studet investigare, et alia afferat et fortasse hoc moneat nos ut reminiscamur, quam diversum fuerit oratorum totum genus atque ratio certandi quinto saeculo atque quarto. Quae illa aetate in theatro Dionysi populo producebantur, eadem hac ex ipsis principibus rei publicae viris in foro audiebat civitas. Ne exempla desint: tunc temporis Hyperboli matrem ut anum vinosam, Cleophontis ut barbaram mulierem in scaenam comicam demittebant poetae,[2]) Euripidis matrem narrabant agrestia

---

[1]) Cf. Koerte Neue Jahrb. f. d. klass. Altert. V (1900) 81 sqq.; Herm. XLIII (1908) 39 sqq. 299 sqq.; Leo ib. 166. 308 sqq.; infra adn. 63.

[2]) Cf. Arist. Nub. 552 cum schol.; 555. Thesm. 840 sqq. — Eupol. fr. (183.) 194 (Ko. I 309. 311); Hermipp. fr. 8. 10 (ib. 227); Plat. fr. 60 (ib. 617).

holera venditare: nunc ipse Demosthenes non veretur in orationibus maledictis multo gravioribus lacerare Aeschinis matrem. Illis temporibus poetae comici non desinebant Cleoni, quod coriarii officium exercebat, Hyperbolo, quod lucernas venditabat, in opprobrium vertere, nunc Demosthenes Aeschinem ut scribam illudit et histrionem.[3]) Oratores igitur ipsi quarti saeculi quasi discipuli atque sectatores fuerunt comicorum quinti saeculi poetarum; sed nos minus sane delectant, cum videamus eos non iocantes festis diebus Liberi patris, ut risum moveant spectatorum, sed id agentes, ut prorsus deleant famam adversarii atque auctoritatem apud iudices cives.[4])

At nequaquam hoc potest affirmari adeo commutatam esse comoediae indolem, ut nullum prioris licentiae vestigium apud posteriores inveniretur; quod qui contenderet, refelleretur primum locis quibusdam aliis e scriptoribus desumptis, velut Isocr. περὶ εἰρήνης (anni fere 355) § 14 ἐγὼ δ' οἶδα μὲν ὅτι . . . δημοκρατίας οὔσης· οὐκ ἔστι παρρησία, πλὴν ἐνθάδε μὲν τοῖς ἀφρονεστάτοις καὶ μηδὲν ὑμῶν φροντίζουσιν, ἐν δὲ τῷ θεάτρῳ τοῖς κωμῳδοδιδασκάλοις· ὃ καὶ πάντων ἐστὶ δεινότατον, ὅτι τοῖς μὲν ἐκφέρουσιν εἰς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας τὰ τῆς πόλεως ἁμαρτήματα τοσαύτην ἔχετε χάριν ὅσην οὐδὲ τοῖς εὖ ποιοῦσι, πρὸς δὲ τοὺς ἐπιπλήττοντας καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς οὕτω διατίθεσθε δυσκόλως ὥσπερ πρὸς τοὺς κακόν τι τὴν πόλιν ἐργαζομένους[5]) — conferas Aesch. 1, 157 et severitatem illam, qua talia in Platonis re publica vetantur,[6]) — deinde multis ipsa-

---

[3]) Cf. inprimis Dem. 18, 180; 261/2. Schaefer Dem. I^2 249 sq.

[4]) Cf. de hac dicendi ratione oratorum IV. saec. E. Rohde Kleine Schriften II 17 sq. = Rhein. Mus. XLVIII (1894) 117 sqq.; Ivo Bruns Das litter. Portr. p. 534 sqq. Cet. vide Steiger Diss. (cf. adn. 18) p. 63/4.

[5]) Locum ad antiquam comoediam referri voluit Leo in dissertatione Quaestiones Aristophaneae (Bonnae 1873) p. 39 adn. 1.

[6]) Legg. XI 935 e *ποιητῇ δὴ κωμῳδίας ἢ τινος ἰάμβων ἢ μουσῶν μελῳδίας μὴ ἐξέστω μήτε λόγῳ μήτε εἰκόνι μήτε θυμῷ μήτε ἄνευ θυμοῦ μηδαμῶς μηδένα τῶν πολιτῶν κωμῳδεῖν.* Ipse philosophus comicorum cavillationes passus est, cf. infra p. 32.

rum comoediarum fragmentis,[7]) denique vel titulis comoediarum inspectis.

Atque titulos cum commemoravimus, id iam attigimus, quode disputare hoc in libello nobis proposuimus. Sunt enim ex numero titulorum, qui non pauci ad nos pervenerunt saepissime singulis tantum vocibus cum nostro sane dolore

---

[7]) Hoc minime neglexerunt vv. dd., qui in comicos inquirebant: Lessingium non fugit, v. Hamb. Dramat. inprimis part. 91; deinde cf. Clinton Fast. Hell. ed. Krueger p. LV; Mein. h. cr. p. 273 sqq.; 436 sqq.; Ribbeck Über die mittlere und neuere att. Kom., Vortrag gehalten im Rathause zu Bern (Teubn. 1857) p. 13; Bergk Griech. Litt.-Gesch. IV 136 sqq.; Susemihl Litt.-Gesch. d. Alex.-Zt. I 248 sqq.; cf. Hirzel Herm. XVIII (1883) 1 sqq.; Leo ib. 558; XLIII (1908) 165 sq. — Exempla ne desint, nonnullos versus laudabo, quibus homines in administratione rei publicae versati carpebantur: Iphicrates Anaxandr. fr. 41 (Ko. II 151); Phormisius Philet. fr. 6 (II 232) [cf. infr. s. t. Ἄντεια]; Callistratus Antiphan. fr. 300 (II 129); Anaxandr. fr. 40 (II 151); Eubul. fr. 11. 107 (II 168. 201); adesp. fr. 697 (III 532); cf. Theop. fr. 30 (I 740); Melanopus Anaxandr. fr. 40 (II 151); Demosthenes Antiphan. fr. 169. 296 (II 79. 128); Anaxil. fr. 9 (II 265); Alex. fr. 7. 209 (II 299. 373); Timocl. fr. 4 (II 452); 12 (457). 38 (466); adesp. fr. 294 (III 461); Hyperides Philet. fr. 2 (II 230); Timocl. fr. 4. 15 (II 452. 458); Polyeuctus V. infra p. 38 sqq.; Hegesippus Sotad. fr. 3 (II 449); Callisthenes Antiphan. fr. 26, 10 (II 20); Timocl. fr. 4 (II 452); adesp. fr. 280 (III 458); Philocrates Eubul. fr. 119 (II 206); Aristogiton Alex. fr. 208 (II 373); Moerocles et Demon Timocl. fr. 4 (II 452); Timarchus adesp. fr. 298 (III 462); Aristomedes Timocl. et Philem. apud Didym. Comm. in Demosth. col. IX 61 sqq.; Cydias *ναύαρχος* Eubul. fr. 67 (II 187); Aristonicus *νομοθέτης* Alex. fr. 125. 126 (II 342), cf. Kirchn. s. n. 2023, cf. n. 2028; Thudippus et Cephisodorus Timocl. fr. 16 (II 459), cf. adesp. fr. 309 (III 464); Philippides Aristophont. fr. 8. 10 (II. 279. 280); Alex. fr. 2. 89. 144 (II 297. 325. 349); Men. fr. 365 (III 106); Crob. fr. 11 (III 382); Callimedon Carabus saepissime: Antiphan. fr. 26, 7. 76 (II 20. 42); Eubul. fr. 9 (II 167); Alex. fr. 56 (II 316). 97 (328). 112 (337). 113 (337). 145 (350). 168 (359). 193 (368). 215 (376). 247 (388); Timocl. fr. 27 (II 463); Theophil. fr. 4 (II 474); Philem. fr. 41 (II 488); Men. fr. 319, 14 (III 91 sq.); Euphr. fr. 9 (III 322); Dioxipp. fr. 3 (III 359)? cf. Kaib. ad loc.; Telemachus Acharnensis Timocl. fr. 7. 16. 21 (II 454. 459. 461); cf. adesp. fr. 188 (III 444); Callias orator Axion. fr. 4 (II 413); Demochares Arched. fr. 4 (III 278); Stratocles Philippid. fr. 25. 31 (III 308. 310); Lachares Demetr. fr. 1 (III 357). — Praeterea cf. Antiphan. fr. 117. 196. 277 (II. 57. 95. 125); Anaxandr. fr. 39. 67 (II 150. 162) e comoedia

vel parvis versiculis ornati, multi a propriis hominum [8]) nominibus desumpti et masculini generis et feminini. Hos cum perlustrabimus dabimusque operam, quaestionibus, quae nobis exsistunt, ut respondeamus, aliquem fructum quamvis parvum spero nos percepturos eis fortasse gratum, quibus Graecae comoediae scientia curae est. Sed hoc initio praemonendum saepius acquiescendum esse in eo, quod pridem vel expedierunt vel coniecerunt viri docti, qui occasione data has tangebant quaestiones, praecipue ipsi fragmentorum editores, licet aucta sint nostris temporibus his quoque studiis subsidia, in quibus primum tenet locum, ut aequum est, Kirchneri Prosopographia Attica.

Urbes appellata; Nicostr. fr. 34 (II 228); Ephipp. fr. 5 (II 252); Alex. fr. 116 (II 338); Diphil. fr. 24 (II 547); 101 (573); Men. fr. 74. 578 (III 24. 176); Apollod. fr. 13 (III 291); adesp. fr. 211 (III 449). — — Nec non externorum regum vel regulorum in mediae novaeque comoediae fragmentis interdum fit mentio; qui quamquam honoris causa nonnumquam nominantur, tamen locos liceat addere: Cotys Anaxandr. fr. 41 (II 151 sqq.); Ephipp. fr. 16 (II 259); Pixodarus Epigen. fr. 6 (II 418), cf. infra s. tit. *Βακχίς*; Dionysius tyrannus maior cf. infra p. 31; Alexander Pheraeus Ephipp. fr. 1 (II 250); reges Cyprii Ant. fr. 202 (II 97); Men. fr. 340 (III 99); Philippus Macedo cf. infra p. 36; [Adaeus *Ἀλεκτρυών* praetor exercitus Philippi Antiphan. fr. 303 (II 130); Heraclid. fr. 1 (II 435) cf. Damox. fr. 1 (III 348) Wilh. Urk. p. 120;] Alexander magnus Men. fr. 293. 924 (III 83. 240); Perdiccas adesp. fr. 129 (III 433); Antigonus et Demetrius Poliorcetes v. infra s. t. *Κράτεια*; Seleucus Antiphan. fr. 187 (II 88); Alex. fr. 204 (II 372); Phil. fr. 47 (II 490); cf. Demetr. fr. 1 (III 357); Epinic. fr. 1 (III 330); Ptolemaeus Alex. fr. 88 (II 325); cf. adesp. fr. 253 (III 454); Philem. fr. 58 (II 492)? cf. Dietze Diss. (v. adn. 18) p. 21 adn. 1; [Antigonus et Pyrrhus cf. Phoenic. fr. 1 (III 333); v. tit. *Πύρρ.*;] Dionysius Heracleotes Men. fr. 21. 22. 23 (III 10) cf. tit. *Ἄμαστρις*; Agathocles Dem. fr. 1 (III 357); Ophelas? Apollod. fr. 24 (III 287); Magas Phil. fr. 144 (II 522); Nicomedes Euphr. fr. 11 (III 323). — Ne in Romana quidem comoedia convicia in aequales dicta inaudita erant; omnibus nota est Naevii Laberiique audacia. Cf. Reich Mimus p. 182—192. 199. 200. 217. 327.

[8]) Hominum dico: eas scilicet omitto comoedias, quae a dis vel heroibus nomen traxerunt, velut *Ἀφροδίτης γοναί Ἀχιλλεύς Ἐρεχθεύς Ὀρέστης Σκείρων Ἀταλάντη Ἑλένη Ἀκκώ* (titulus Amphidis Ko. II 236, cf. Crusius apud PW I 1171) sim.

A nominibus earum personarum, quae primas in fabulis partes agebant, titulos sumptos esse in tragoedia est usitatissimum: Φινεύς Νιόβη Αἴας Ἀντιγόνη Ἡρακλῆς Μήδεια[9]), neque aliter in iis comoediis, quibus in ludum iocumque detorquebantur fabularum et tragoediarum argumenta.[10]) Socratici philosophi, qui eadem aetate floruerunt, qua poetae mediae comoediae, saepe dialogis suis eorum hominum nomina inscribebant, quos praeter Socratem principes inducebant colloquiorum personas.[11]) Logographorum, qui Graece vocantur, orationes initio ornatae sunt nominibus eorum, qui accusantur vel defenduntur: non inauditum igitur est tale titulorum genus, quale nunc sumus tractaturi.[12])

Eiusmodi titulum autem quicunque offendit, omnes, opinor, habeat assentientes, cum personam in indice nominatam coniciat primarias fabulae partes in ipsa scaena comica egisse; negari quidem nequit fieri potuisse, ut, quae in dramate repraesentabantur, quodam modo ad illam personam pertinerent, cum ipsa non ante oculos prodiret spectatorum; sed talia quia nulla ratione possunt sciri in comoediis, quae titulo frustulisque exiguis exceptis plane perierunt, prior illa coniectura utpote veri similior merito stabit, nisi quae causae repugnabunt aliunde tractae.[13])

---

[9]) Cf. Hippenstiel De Graecorum tragicorum principum fabularum nominibus (Diss. Marp. 1887) p. 53 sq.

[10]) Cf. adn. 8.

[11]) Cf. Prolegg. in Plat. philos. c. 18 Plat. ed. Herm. V p. 212 sq. — cf. Anonym. Comm. in Plat. Theaet. ed. Diels et Schubart p. 4 (col. 3, 28 sqq.) *φέρεται δὲ καὶ ἄλλο προοίμιον ὑπόψυχρον σχεδὸν τῶν ἴσων στίχων. οὗ ἀρχή· „ἆρά γε, ὦ παῖ, φέρεις τὸν περὶ Θεαιτήτου λόγον“*; quo de loco me monuit v. d. Hermannus Schoene.

[12]) Aetate paulo posteriore eorum nonnumquam nominibus scripta insigniebant, quos vel vivos vel mortuos volebant honorare: cf. Meinek. Anal. Alex. p. 16; E. Rohde Griech. Rom.[1] p. 74 adn. 3; sed monuit me H. Schoene iam Dioclem Carystium medicum nobilem Archidami patris nomen libro praefixisse (Wellmann Fragmentsammlung der griechischen Ärzte I p. 65. 67. 188 sqq.).

[13]) Casina Plautina eiusmodi comoedia est, in qua persona, cuius nomen in indice legitur, ipsa in scaenam non demittatur; sed Graeco exemplo

Sed alia exoritur quaestio multo gravior et nobis quasi principalis atque in omnibus titulis semper eadem, comoediae illae utrum denominatae sint a certis quibusdam hominibus, qui poetarum aetate (vel antea) vixerunt, an a personis, quae numquam veram habuerint vitam, sed ab ingeniis poetarum cogitatione sint procreatae et ab isdem exornatae illis nominibus, quae cur elegerint aut perspicimus aut nescimus. Utroque modo fabulas potuisse vocari quivis facile concedet. Prioris notae exempla satis superque exstant et infra primo loco tractabuntur, posterioris statim Lysistratae Aristophaneae lectori in mentem veniat. Nuper negatum quidem est hoc fuisse genuinum comoediae titulum ab ipso poeta profectum: Haasius l. l. (adn. 18) I p. 48 indicem Ἀδωνιάζουσαι praeferendum existimat coll. schol. ad v. 389 ὅτ' Ἀδωνιασμός· Ἑορτὴν γὰρ ἐπετέλουν τῷ Ἀδώνιδι αἱ γυναῖκες καὶ κήπους τινὰς εἰς τὰ δώματα ἀνέφερον. τινὲς δ' ἐκ τούτου τὸ δρᾶμα Ἀδωνιαζούσας ἐπιγράφουσιν οὐ καλῶς, nam „chori nomen — si fabulae alicuius exstat, quin genuinum et a poeta ipso adhibitum sit vix dubites“ (Haas l. l.). Sed quamquam verum est, id quod Haasius tabulis suis, quibus antiquae comoediae titulos in classes digestos descripsit (l. l. II p. 49—52), vult demonstrare, quinto saeculo poetas comicos saepius titulis a choro tractis usos esse, tamen ex ipsis illis tabulis quilibet discet ne quinto quidem saeculo hanc rationem titulorum adhibendorum unicam fuisse et singularem.[14]) Porro choricus titulus, qui alii praeferatur, aliquantulum saltem comoediae accomodatus sit necesse est; itaque

---

titulus erat *Κληρούμενοι* (Diphili, Cas. v. 31 sq.) et Romana quoque versio initio Sortientes videtur inscripta fuisse (cf. Leo Plaut. Forsch. p. 189 adn.; Skutsch Rhein. Mus. LV [1900] 274, 1). Praeterea Plautus ipse profitetur Graecam comoediam in fine potissimum se contraxisse, qua re verisimile fit apud Diphilum et ipsam Casinam in scaenam esse introductam (nomen fortassé e Graeco desumptum, cf. Leo l. l. p. 97 adn. 6; Schmidt Herm. XXXVII [1902] 359 sq.). — — Etiam Pyrrhum Philemonis Dietzius pro tali comoedia habet, sed cf. quae infra de hoc titulo annotabimus.

[14]) Enumerat Haas 111 titulos a choro desumptos, 39 alterius generis.

adicere debuit Haasius, qua ratione titulum illum intellegeret, de quo mihi quidem recte scholiasta ipse iudicasse videtur verbis „οὐ καλῶς“; nam mulieres neque Adonidem neque alium deum festo die celebratum convenisse primis comoediae versibus satis declaratur, sed ab ipsa Lysistrata invitatas „βουλευσομένας οὐ περὶ φαύλου πράγματος“ (v. 14). Praeterea facile intellegitur, cur hanc comoediam, in qua duo prodeant chori, poeta nomine chori designare noluerit. Neque index ille fabularum Aristophanearum in codice Ambrosiano servatus (Novati Herm. XIV [1879] 464) hunc praebet titulum, sed duplicem Λυσιστράτη ἢ Διαλλαγαί (cf. schol. ad v. 1114). Quae cum ita sint, equidem, quae adhuc in usu erat, inscriptionem Aristophani adimi nolim; sed etiamsi postea esset comoediae praefixa, tamen eam liceret hoc loco afferre, quia hoc certe ostendit tales fabularum designationes non fuisse inauditas neque inusitatas. — Et in Romana comoedia similes exstant indices complures, [15]) velut Bacchides Casina Curculio Epidicus Menaechmi Pseudolus Stichus Plauti, Phormio Terenti; sed Graecae inscriptiones earum, quarum exempla novimus, alia ratione comparatae erant: Bacchides = Menandri Δὶς ἐξαπατῶν (Ritschl Parerga p. 405); Casina = Diphili Κληρούμενοι (v. 31, cf. supra adn. 13); Stichus = Menandri Ἀδελφοί (didasc.); Phormio = Apollodori Ἐπιδικαζόμενος (didasc. et v. 24 sqq.). Idem de Curculione statuendum, quia vox est Latina (cf. v. 586 sq.); de Epidico Menaechmis Pseudolo iudicium cohibeo (de nominibus cf. Schmidt l. l. (adn. 13) p. 187 sq. 196. 380). [16])

---

[15]) Cf. Donat. de comoed. VI 4: omnium autem comoediarum inscripta ex quatuor rebus omnino sumuntur, nomine loco facto eventu: nomine ut Phormio Hecyra Curculio Epidicus etc. (ed. Wessner p. 26 [qui Hecyra delet] = Kaibel CGF I p. 69).

[16]) Liceat ceteras comoedias Latinas, quae similes titulos acceperunt, huc colligere; nec desunt, in quibus poetae Graecos indices videantur retinuisse; eas stellula notabo: Naevii Appella? (p. 8 Ribb. FCR²); *Demetrius (cf. Graec. tit.); Lampadio (p. 16 R.²; servi nomen in Plauti Cistell. v. 594. (544); com. inc. fr. LXXIX p. 128 R.²; cf. Schmidt l. l. 192); Stalagmus (p. 18 R.²; servi nomen in Capt.; cf. Anaxandr. fr. 34, 3

Omnes autem, qui huc pertinent, titulos ad duas classes, quarum altera complectatur comoedias a certis hominibus denominatas, altera a fictis personis, ita revocare, ut nil restet residui, ego quidem nequeo; nam saepius, utram in partem iudicetur, dubium est. Temptandum autem mihi iudicium putavi hasce fere rationes secuto: si cui comoediae inscriptum est nomen, quod oratori erat praeclaro vel praetori vel philosopho vel poetae vel alii homini non ignoto, comicus poeta autem illius aequalis fuit, neminem oblocuturum esse spero ad eum fabulam referenti. Sin autem nullum hominem nobilem, qui illo nomine fuerit appellatus, novimus, minime

---

[Ko. II 148]; cf. Schmidt l. l. 207 sq.); Plauti Acharistio (Leo II 523; cf. Ritschl Parerga p. 105 c. adn.; Schmidt l. l. 353); Artemon (Leo II 524; cf. Ritschl l. l. 153 sq.; Schmidt l. l. 178); Pagon? (Leo II 539; = *Φάγων* ? cf. Ritschl l. l. 151; Ribb.[2] CIII sq.; Schmidt l. l. 376); Saturio (Leo II 540 sq.; cf. Schmidt l. l. 205 sq. et infra Anaxandridis *Σατυρίας*); Caecilii (*) Aeschrio (p. 35 R.[2]; titulus dubius, cf. Graec. tit.); Chrysion (p. 39 R.[2]; cf. tit. *Χρυσίς*); *Dardanus (p. 39 R.[2]; ? cf. Cic. ad fam. X 25, 3; Plut. Brut. 51, 2; 52, 1; Muenzer apud PW IV 2179); Davos (p. 40 R.[2]; servi nomen usitatissimum: cf. Men. fr. 946 [Ko. III 244]; in Menandri Eunucho servus *Δᾶος* erat, quem Terentius Parmeno appellavit [Donat ad 5, 5, 1; Schol. Pers. Sat. 5, 161]; porro hoc nomen est servis in Men. *Γεωργ.* *Ἥρ.* *Ἐπιτρ.* *Περικειρ.* *Σαμ.*; cf. adesp. fr. 287 [Ko. III 460]: sed Graecus titulus *Δᾶος* adhuc non innotuit; apud Romanos in Plaut. Amphitr. 206; fr. inc. XXVII Leo; in Ter. Andr.; Phorm.; inc. fr. XLII p. 121 R.[2]); *Hymnis (cf. Graec. tit.); Hypobolimaeus Chaerestratus et Hypobolimaeus Aeschinus (cf. infra s. tit. *Ἡνίοχος*); Nothus Nicasio (p. 55 R.[2]; cf. Afran. v. 189 p. 188 R.[2]); Pausimachus (cf. p. 57 sq. R.[2]); Philumena (p. 58 R.[2]; Graecam comoediam sic appellatam non novimus; sed nomina *Φιλούμενος* et *Φιλουμένη* v. apud Antiphan. fr. 68 [Ko. II 38], Men. fr. 620 [III 186], Crob. fr. 5 [III 380], cf. Cratin. fr. 98, 5 [I 43] c. adn. Ko.; apud Romanos Ter. Andr. 306; Hec. 191. 219 saepius); Turpilii *Demetrius (cf. Graec. tit.); *Thrasyleon (cf. Graec. tit.); Licinii Imbricis *Neaera (cf. Graec. tit.); – praeterea Titinii Hortensius (p. 142 R.[2]); Procilia? (p. 143 R.[2]); Quintus (p. 147 R.[2]); Afranii Thais (p. 207 R.[2]); Pomponii Mevia (p. 237 R.[2]); Novii Asinius (p. 255 R.[2]); Bubulcus Cerdo (ib.; cf. *Κέρδων* Euphr. fr. 10 [Ko. III 322]; adesp. fr. 761 [ib. 542]); Pacilius? (p. 264 R.[2]); Valerii Phormio (p. 302 R.[2]); Catulli Laureolus (p. 392 R.[2]).

extemplo concludam et personam et nomen a poeta esse inventum[17]); immo cum certa primae classis exempla nobis praesto sint (v. infra), de unoquoque titulo singillatim erit inquirendum, utrum ita nomen delectum sit, ut eo homo certis quibusdam moribus certaque natura designetur, an ad illa pertineat nomina, quae omnes comici posterioris potissimum aetatis semper usurpabant (cf. nomina in comoediis Terentianis adhibita); utrumque si in illum titulum non ceciderit, licebit concludere ad certum quendam hominem eum spectare atque opus erit circumspicere, num quem hominem minus nobilem possimus indagare, ad quem fabulam revocemus. Talia autem saepius non posse ad certum redigi per se patet. — Fit autem interdum, ut iisdem nominibus diversi poetae fabulas inscripserint; qui si non erant aequales, verisimilius ducam non certum hominem significari. Nam solutum ab omni cum certi temporis certis rebus gestis necessitudine poeta depingere debebat eum, quem multo post alius spectatoribus, qui illum non novissent, denuo auderet producere. Quod raro accidisse puto. (Cf. infra titulos meretricios.) Haud aliter censendum est, cum Romana quaedam comoedia eundem quem Graeca exhibet titulum. Sin autem illi poetae eadem aetate floruerunt, facilius credemus complures comicos eundem hominem illusisse quam diversis personis a se fictis idem nomen imposuisse, nisi forte, ut supra diximus, ad certum quoddam hominum genus significandum eo utebantur; attamen pro certo illud affirmari nequit: nam etiam si eisdem fere temporibus fuere poetae, tamen alter alteri superfuerit ita ut, nisi aliis, quae comoediae tempus constituant, indiciis hoc credi vetatur, illum superstitem huius mortui comoediam renovatam denuo in scaenam demisisse possit coniectari.

---

[17]) Sic Bergk Griech. Litt.-Gesch. IV 133 «die Mehrzahl der landläufigen Eigennamen, denen wir in den Überschriften der Lustspiele begegnen, ist vom Dichter beliebig gewählt, ohne daß eine offene oder versteckte Beziehung auf bestimmte Persönlichkeiten vorausgesetzt werden darf.»

Quam coniecturam quotiens probes, non de certo homine cogites.

Hucusque praefatus ad ipsam iam accedam titulorum enumerationem tractationemque; atque virorum nomina a mulierum prorsus separabo, ut eiusdem generis tituli sub uno conspectu ponantur. Non omittam autem veteris comoediae similes indices primum, quia nullo modo vetus comoedia anno certo potest terminari, e quo media initium cepisse dicatur, deinde ut omnes apponantur huius generis tituli comici. Atque enumerabo eos in complures classes, quas instituere lubuit, distributos, in singulis classibus temporum, quantum licet, rationes observaturus. Ordiar autem ab iis comoediarum inscriptionibus, quae a veris virorum nominibus (non cognominibus iocosis) tractae ad homines nobis quoque notos argumentis admodum vel satis certis possunt referri.[18])

VIRORUM NOMINA.

Amipsiae Κόννος.

Agmen ducat Amipsiae Κόννος (Mein. h. cr. 201 sqq.; Ko. I 671 sqq.), acta Dionysiis anni 423 (una cum prioribus Nubi-

[18]) Quas saepius laudabimus virorum doctorum commentationes, earum plenos titulos hoc loco lubet afferre, ut postea compendiis uti liceat: Bechtel Die attischen Frauennamen (= Fr.); Bender De Graecae comoediae titulis duplicibus. Diss Marp. 1905; Dietze De Philemone comico. Diss. Gott. 1901; Fick Die griechischen Personennamen, 2. Aufl. von A. Fick u. F. Bechtel (= Fick-Bechtel); Haas De comoediae Atticae antiquae fabularum nominibus. Progr. Melk I (1902). II (1903); Schmidt Die griechischen Personennamen bei Plautus Herm. XXXVII (1902) 173 sqq. 353 sqq. 608 sqq.; Sondag De nominibus apud Alciphronem propriis. Diss. Bonn. 1905; Steiger Der Eigenname in der attischen Komoedie. Diss. Erl. 1888; Wagner Symbolarum ad comicorum Graecorum historiam criticam capita quattuor. Diss. Lips. 1905; Wilhelm Urkunden dramatischer

bus Aristophanis, Argum. V Nub., cf. Athen. V 218 c). Hemsterhusium secuti editores titulum repetiverunt a Socratis praeceptore artis musicae, Conno Metrobii filio, [19]) qui ab aliis quoque comicis illudebatur. [20]) Atque Plato videtur priore l. l. cavillationes illas, quibus Connus una cum discipulo illustri vexabatur, significare, cum hunc facit dicentem in animo se habere magistris uti Euthydemo Dionysodoroque: nam propter aetatem grandiorem ne discendi facultatem amiserit, se minime timere, „ἀλλ' ἐγὼ ἓν μόνον φοβοῦμαι, μὴ αὖ ὄνειδος τοῖν ξένοιν περιάψω, ὥσπερ Κόννῳ τῷ Μητροβίου τῷ κιθαριστῇ, ὃς ἐμὲ διδάσκει ἔτι καὶ νῦν κιθαρίζειν· ὁρῶντες οὖν οἱ παῖδες οἱ συμφοιτηταί μου ἐμοῦ τε καταγελῶσι καὶ τὸν Κόννον καλοῦσι γεροντοδιδάσκαλον. μὴ οὖν καὶ τοῖν ξένοιν τις ταὐτὸ τοῦτο ὀνειδίσῃ..... ἐγὼ δ'. . ἐκεῖσε μὲν ἄλλους πέπεικα συμμαθητάς μοι φοιτᾶν πρεσβύτας κτλ“, quo e loco quispiam colligat in Amipsiae dramate Socratem cum aliis φροντισταῖς (hoc enim nomen chori Athen. V 218 c) Conni disciplinae se tradidisse. Nam ipsum Socratem in scaenam productum esse et per se est verisimile et fragmento 9 Ko. (= Diog. Laert. II 27) comprobatur, quod sine fabulae titulo laudatum recte huic comoediae attribuisse videtur Menagius.

Hoc autem velim respicias semper titulo Κόννος fabulam appellari. numquam chori nomine Φροντισταί, qualis index si traderetur nemini esset offensioni coll. Platonis Sophistis (Ko. I 636), Philemonis Philosophis (Ko. II 502 sq.).

Aufführungen in Athen = Sonderschriften des österreich. archaeol. Instituts in Wien Vol. VI (= Wilh. Urk.).

[19]) Plat. Euthyd. 272 c; Menex. 235 e; cf. Kirchn. n. 8679. Non credo aliud nomen ei fuisse, licet *Κόννος* ex iocoso cognomine ortum sit (cf. F. Bechtel Die einstämmigen männlichen Personennamen des Griechischen, die aus Spitznamen hervorgegangen sind, Abhandl. der Gött. Ges. d. Wiss. Phil.-hist. Cl. N. F. II [1899] p. 80).

[20]) Cratin. fr. 317 (Ko. I 105; ubi *Κοννᾶς*, de qua forma cf. Crusius Fleck. Jahrb. 143 [1891] p. 392). Arist. Eq. 534 (hoc quoque loco *Κοννᾶς*); (Vesp. 675;) (Eupol. fr. 68 [Ko. I 273 sq.]; cf. adesp. fr. 93 (Ko. III 416).

Phrynichi Κόννος.

Etiam Phrynichi laudatur Κόννος (Mein. h. cr. 154; Ko. I 371 sq.), cuius de argumento nil fere docent, quae servata sunt, tria fragmenta pusilla. Tamen hanc quoque fabulam ad Socratis praeceptorem referre videtur consentaneum.[21])

Eupolidis Αὐτόλυκος.

Sequatur Autolycus Eupolidis (Mein. h. cr. 116 sqq.; Ko. I 267 sqq.), de qua Athen. V 216 d ἐπὶ τούτου (sc. Ἀριστίωνος ἄρχοντος, a. 421/20) Εὔπολις τὸν Αὐτόλυκον διδάξας διὰ Δημοστράτου χλευάζει τὴν νίκην τοῦ Αὐτολύκου i. e. eius quinquertii victoriam Panathenaeis a. 422 (Xen. Conv. 1, 2; Plin. N. h. 34, 79) reportatam. Hac de fabula satis celebri atque saepe laudata (26 fragmenta apud Ko.), quam bis docuisse videtur auctor (exstabat Αὐτόλυκος β', v. testim. apud Mein. l. l. 117 sq.), deque adulescentulo illo nobili, quode testimonia collegit Kirchn. s. n. 2748, hoc loco, ubi comoedias veteres eo tantummodo consilio, ne quis huius generis titulus desit, addimus, fusius agendum non esset, nisi ipsum titulum, propter quem fabulam memoravimus, spurium esse nuper esset pronuntiatum ab eodem viro docto, qui etiam de Lysistratae Aristophaneae inscriptione usitata dubitavit (v. supra p. 9 sq.), Haasio l. l. II 14 sqq. Sed ne hic quidem eius opinionem probandam existimo; qui restituta coniectura a Muellero Strubingensi dudum prolata (Fleck. Jahrb. 142 [1890] p. 544) Eupolidis Κόλακας eandem fabulam fuisse contendit atque Αὐτόλυκον α', neque diversam Αὐτόλυκον β' ab eiusdem poetae Φίλοις, atque argumentis a Muellero allatis nova addere studuit. Quae omnia inspiciamus necesse est.

Prima causa atque principalis, qua ad hanc sententiam

---

[21]) Amipsiae et Phrynichi Connum unam eandemque fabulam fuisse coniecit Joh. Muhl Zur Gesch. d. att. Komöd. (Progr. Augsb. 1881) p. 89: quae coniectura nulla re firmatur nisi alia coniectura Bergkii eorundem poetarum fabulam Comissatores non diversam fuisse opinati (apud Fritzschium Quaestt. Aristoph. I 322; de rell. p. 369): neque vero haec certa.

perductus erat Muellerus, fuit commemoratio Aristarchi στρατηγοῦ in fragmento 43 Ko.: praetorem enim anni 411 (Thuc. VIII 98; Xen. Hell. II 3, 46) non posse intellegi, quippe quem oligarchum (ut Graeco verbo utar) demum post oligarchos oppressos aliquis ausus esset nominatim carpere; sed e praesenti tempore in verbo ἄχθομαι usurpato necessario esse colligendum, eodem, quo Aristarchus praetor fuisset, anno comoediam datam esse. At in inscriptione I. G. II 971 b (= Wilh. Urk. p. 20 sq.) „ἐπὶ Ἀλκαίου“ (a. 422/1) commemorari choragum Aristarchum Deceleensem; hunc eo ipso anno praetorem fuisse nil impedire, quominus sumeremus, praesertim cum alter choragus in eadem inscriptione nominatus eodem functus esset munere. A. 422/1 autem Eupolidis fabulam Adulatores esse doctam (Argum. Arist. Pac.; Athen. V 218 b), itaque priorem Autolycum eandem comoediam fuisse atque Adulatores, et posteriorem anno proximo in scaena actam eandem atque Amicos.

Sed quam infirmis haec argumentatio nitatur fundamentis, quivis primo obtutu videbit: quidni Aristarchus ille[22]) quolibet alio anno ante a. 411 ad praetoris dignitatem pervenire potuit?[23])

Neque difficilius videtur nova, quibus fulcire voluit Haasius Muelleri coniecturam, argumenta refutare, potissimum primum: l. l. p. 17 „licet . . . leges illae, quibus τὸ ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν prohibebatur, non tam diligenter observarentur, tamen vel inscriptione, qui in fabula exagitati sunt, ut notarent sibi sumpsisse poetas prorsus nego“. Nam primum Luebkius in priore parte dissertationis, quae inscripta est Observationes

---

[22]) Eundem esse Deceleensem atque oligarchum Koehlerus existimabat, quod ipsi Muellero Strubingensi probabile videbatur; neque aliter Kirchn. s. n. 1663.

[23]) Cf. Beloch Att. Politik seit Perikles (1884) p. 327. — Mein. h. cr. 118 fragmentum, in quo Aristarchus memoratur, alteri Autolyco ascripsit atque hanc a. 411 doctam coniecit; quod valde incertum est; secutus est Muhl l. l. (adn. 21) p. 21.

criticae in historiam veteris Graecorum comoediae (Berol. 1883) satis mihi videtur demonstrasse ea aetate, qua floruit vetus comoedia, tales leges omnino non exstitisse; deinde Haasius illud, quod supra exscripsi, si persuasum sibi habebat, conari saltem debuit, si alios huius generis titulos velut Amipsiae Connum, Platonis Pisandrum et Cleophontem ceterosque, quos infra enumerabimus, aut explicare posset aut delere; quos tamen nullo verbo addito in suas recepit titulorum tabellas. Quid ad hoc, quod probare studuit Haasius, probandum proficimus allata Eupolidis Maricante (est cognomen Hyperboli), cum Platonicus titulus Ὑπέρβολος optime nobis traditus sit? — Idem auctor quod pergit „Immo ne in fabulis ipsis quidem homines, qui primarias partes habebant, propriis nominibus appellatos esse testimonio est Equitum Aristophanes fabula, in qua Cleon nomine Παφλαγών, Nicias et Demosthenes[24]) nominibus Οἰκέτης A et B inductos esse a personarum catalogo colligitur“ sane mirum fecit, quandoquidem in Aristophanis Nubibus Socratem per totam comoediam suo nomine proprio inductum esse nescire non potuit. — Porro ex Etym. M. 399,17 Εὐτρήσιος παρὰ τὸ τετρῆσθαι. τὸν Αὐτόλυκον ὁ Εὔπολις σκώπτει (= fr. 56 Ko.)[25]) non concludi debet poetam in fabula sua semper Autolycum hoc nomine appellasse vero plane neglecto, neque magis ex eo, quod in fragmentis Autolyci nomen nusquam legitur, quae quamvis nobis multa videantur ut dramatis deperditi reliquiae, tamen pusilla profecto pars sunt integrae comoediae. — Quod autem ad argumentorum similitudinem attinet, de his rebus certum iudicium vetitum esse puto, quamdiu summae tantummodo fabularum nobis notae sunt, singula prorsus latent; quod in utraque fabula convivium apparabatur, non suppeditat causam, cur in unam eas contrahamus, nec magis, quod Callias in utraque partes

[24]) Scribendum videtur Cleonem Niciam Demosthenem.

[25]) Cf. Strab. IX 2, 28; Steph. Byz. s. *Εὔτρησις, πόλις Ἀρκαδική.* Kaibelius Herm. XXIV (1889) 42 coniecit Eupolin in sua comoedia Autolycum eiusque patrem Lyconem civitate Attica privasse (cf. infra s. tit. *Ἐφιάλτης*).

habuit; reminiscaris velim, quam saepe Euripidem in scaenam comicam deduxerit Aristophanes.

Pro ultimo argumento hoc affert Haasius: quia victoria Autolyci in initium ceciderit anni 422/1,[26] futurum fuisse, ut nimis magnum temporis spatium, i. e. viginti menses, interponeretur victoriam inter et comoediam, haec si insequente demum anno 421/20 docta esset „quod in tali comoediae argumento credi nequit“ (p. 19). Et hac quoque re non diversam fuisse Autolycum ab Adulatoribus evinci. Quo argumento adeo mihi non persuasit, ut contra dicam hanc temporis rationem ei aptius afferri, qui diversas fuisse fabulas contendat: nam cum reputaveris poetas sat multo ante dies festos debuisse dramata perfecta habere,[27] potius reperies per tempus poetae vix licuisse e victoria Panathenaica summam argumenti sibi fingere comoediae eiusdem anni Dionysiis docendae; differenda ei fuit talis fabula ad subsequentis anni festos dies.

Quae cum ita sint, concedes levibus argumentis usum esse Haasium ad probandam suam Muellerique coniecturam. Sed nonnulla contra eam possunt proferri: primum quod ne unus quidem e veteribus viris doctis pro iisdem has comoedias habuisse videtur; triginta tria Adulatorum restant fragmenta, undecim Amicorum, neque umquam laudantur ἐν Κόλαξιν ἢ Αὐτολύκῳ πρώτῳ, ἐν Φίλοις ἢ Αὐτολύκῳ δευτέρῳ, quales tituli duplices alioquin saepissime inveniuntur. Deinde animadvertas velim Autolycum titulum, quem defendimus, legi in didascalia ab Athenaeo V 216 d servata (Εὔπολις τὸν Αὐτόλυκον διδάξας διὰ Δημοστράτου), quae haud aliter atque illae, quae in argumentis comoediarum Aristophanearum traditae sunt, ad Aristotelis doctrinam has res complexam redire videtur. In eam pro genuino titulo Φίλοι spurium Αὐτόλυκος

[26]) De Panathenaicorum tempore v. A. Mommsen Heortol. p. 129.

[27]) Cf. E. Rohde Rh. Mus. XXXVIII (1883) 261 cum adn. 2; 262; Aristot. Pol. Ath. c. 56 unum ex primis archontis muneribus fuisse dicit electionem choragorum.

irrepsisse primum per se non est veri simile, deinde propterea, quod si grammatico nescio cui index debetur, illic τὸν Αὐτόλυκον δεύτερον (vel β′) exspectatur, denique ideo, quod in nota didascalica Adulatorum ab eodem Athenaeo (V 218 b) allata, cui eidem in Pacis Aristophaneae Argumento servatae non est, quod fidem abrogemus, titulus, qui etiam Haasio videtur genuinus, non deturbatus est spuria inscriptione Αὐτόλυκος (α′).

Quibus omnibus causis inductus rectius puto Adulatores Amicos Autolycum pro diversis, ut adhuc fiebat, haberi Eupolidis fabulis, neque falso huic, de quo agimus, titulorum generi me attribuisse Autolycum.

Platonis Ὑπέρβολος.

Eodem fere tempore,[28]) quo Eupolidea comoedia modo tractata, docta videtur Platonis Hyperbolus (Mein. h. cr. 188 sqq.; Ko. I 643 sqq.), scripta in demagogum cognominem,[29]) cf. Schol. Arist. Nub. 558 Πλάτων ὅλον δρᾶμα ἔγραψεν εἰς Ὑπέρβολον, quod confirmatur fragmentis, v. 166. 167. 169. 170 Ko.

Platonis Πείσανδρος.

Nec magis ambiguum est, ad quem eiusdem poetae fabula Πείσανδρος inscripta (Mein. h. cr. 176 sqq.; Ko. I 626 sqq.) referenda sit: accepit nomen ab oligarcho satis noto, de quo vide testimonia apud Kirchn. s. n. 11770, atque cum alia tum eius edacitatem videtur perstrinxisse: cf. fr. 95 Ko. et Athen. V 415 d Ἀρχίλοχος . . . Χαρίλαν εἰς τὰ ὅμοια (sc. πολυφαγίαν) διαβέβληκεν ὡς οἱ κωμῳδιοποιοὶ Κλεώνυμον καὶ Πείσανδρον (= adesp. fr. 64 Ko. III 411). Et alium Pisandrum,

---

[28]) Cf. Cobet Observ. crit. in Plat. com. p. 144, qui Ol. 90, 1 vel 2 (= 420/19/18) fabulam ascribit; Gilbert Beitr. z. innern Gesch. Ath. p. 214 sq.; Zelle De Comoediarum Graec. saec. V a. Chr. n. actarum temporibus definiendis (Diss. Halis 1892) p. 43.

[29]) Cf. de eo Kirchn. s. n. 13910.

aequalem oratoris, qui nusquam alibi memoratur nisi Eupol. fr. 182 (Ko. I 309), in hac comoedia illusum esse e schol. Arist. Av. 1556 (= fr. 101 Ko., cf. Mein. l. l. 179 sq.) discimus. Quo tempore fabula acta sit, certius definire non licet. — Nuperrime e Photio Reitzensteinii novum innotuit fragmentum (148, 27).[30])

Platonis Κλεοφῶν.

Contra constat, quo tempore in scaenam demissa sit Cleophon Platonis (Mein. h. cr. 171 sqq.; Ko. I 615 sqq.), Lenaeis a. 405 (Argum. Arist. Ran.), neque minus, a quo fabula sit denominata: Schol. Arist. Ran. 679 Κλεοφῶν στρατηγὸς τῶν Ἀθηναίων. καὶ εἰς τοῦτον τὸν δημαγωγὸν ὅλον δρᾶμα φέρεται Πλάτωνος καὶ ἐπιγράφεται ὁμωνύμως αὐτῷ Κλεοφῶν. Idem habet Suid. s. v. φιλοτιμότερος Κλεοφῶντος. Cetera de viro testimonia collecta vide apud Kirchn. s. n. 8638. In ista comoedia et matrem demagogi induxit poeta βαρβαρίζουσαν, cf. fr. 60. 56 et supra p. 4.[31])

Nullius ex tribus his Platonis comoediis alium indicem afferunt veteres. Κλεοφῶν insuper argumento didascalico Ranarum firmatur.

Archippi Ῥίνων.

Comoediam, cui inscripsit Ῥίνων (Mein. h. cr. 209; Ko. I 687 sq.) Archippus auctor, ab oratore illo,[32]) qui alterius decemvirum collegii particeps post triginta tyrannos eiectos optime de adversariis in gratiam reconciliandis meritus est,

---

[30]) Apud Suidam s. v. *Ἀρεοπαγίτης· Ἀλεξανδρίδης Πεισάνδρῳ* Mein. h. cr. 373 recte sine dubio correxit *Ἀναξανδρίδης Πανδάρῳ*, quae fabula saepius citatur, v. Ko. II 149.

[31]) Bekk. Anecd. 9, 6 laudatur *Πλάτων ἐν Κλειτοφῶντι* (= Ko. fr. 59), quod Mein. h. cr. 173 recte emendavit *ἐν Κλεοφῶντι*; quisquis primus sic scripsit, dialogo philosophi deceptus est.

[32]) Cf. de eo Kirchn. s. n. 12532.

titulum accepisse, quia nomen rarissimum est,[33]) admodum probabile puto, licet apud Aristotelem Ath. Pol. c. 38 haec de eo legamus: οἱ δὲ περὶ τὸν Ῥίνωνα διά τε τὴν εὔνοιαν τὴν εἰς τὸν δῆμον ἐπηνέθησαν, καὶ λαβόντες τὴν ἐπιμέλειαν ἐν ὀλιγαρχίᾳ τὰς εὐθύνας ἔδοσαν ἐν δημοκρατίᾳ, καὶ οὐδεὶς οὐδὲν ἐνεκάλεσεν αὐτοῖς, οὔτε τῶν ἐν ἄστει οὔτε τῶν ἐκ Πειραιέως κατελθόντων, ἀλλὰ διὰ ταῦτα καὶ στρατηγὸς εὐθὺς ᾑρέθη Ῥίνων (cf. Heraclid. Epit. Ῥίνων . . , ὃς ἦν ἀνὴρ καλὸς καὶ ἀγαθός, apud Blass. ed. Ar. Pol. Ath.[3] p. 116 = FHG II 209).[34]) Quid in isto viro laude digno reprehendendum visum sit Archippo comico et quo tempore fabula acta sit, nescimus; verisimile autem est eam ad idem fere tempus pertinere, quo Rhino maxime inter cives praestitit, ad finem scilicet saeculi quinti.[35])

Theopompi Τεισαμενός.

Theopompi titulum Τεισαμενός (Mein. h. cr. 242; Ko. I 748 sq.) Meinekius putavit referendum esse ad filium Mechanionis, auctorem plebisciti, „ex quo post solutum triginta virorum dominatum Solonis leges recognoscerentur“ (cf. Andocid. I 83; Lys. XXX 28; Kirchn. 13443) Kockio l. l. sequente. Neque honoris causa eum una cum Nicomacho[36]) nominat, qui huius accusatori orationem scripsit, Lysias l. l.: ἃ καὶ ὑμῶν ἔχοι ἄν τις κατηγορῆσαι, ὅτι οἱ μὲν πρόγονοι νομοθέτας ᾑροῦντο Σόλωνα καὶ Θεμιστοκλέα καὶ Περικλέα, ἡγούμενοι τοιούτους ἔσεσθαι τοὺς νόμους οἷοί περ ἂν ὦσιν οἱ τιθέντες, ὑμεῖς δὲ Τεισαμενὸν τὸν Μηχανίωνος καὶ Νικόμαχον καὶ ἑτέρους ἀνθρώπους ὑπογραμματέας. καὶ τὰς μὲν ἀρχὰς ὑπὸ τῶν τοιούτων ἡγεῖσθε διαφθείρεσθαι, αὐτοῖς δὲ τούτοις πιστεύετε. Nomen autem quoniam perrarum erat

---

[33]) Praeter hunc unus Rhinon apud Kirchn. De nomine cf. Bechtel Spitznamen (v. adn. 19) p. 27. Exstabat Aeschinis dialogus *Ῥίνων* (v. Mein. l. l.).

[34]) Non aliter iudicat Kaibelius apud PW II 542.

[35]) Archippi comoedia notissima, Pisces dico, post archontem Euclidem docta est, v. fr. 27 (Ko. I 684).

[36]) De eo cf. Kirchn. s. n. 10934.

Atheniensibus illiusque decreti oratoris aetas optime congruit cum Theopompi, Meineki coniecturam accipiendam existimo. licet aliis argumentis nequeat probari. Idem quod in Arist. Ach. 603 eundem Tisamenum dici putavit cum Phaenippi nomine coniunctum (Τεισαμενοφαινίππους), nil habeo, quod iure obiciam. Adnotatur quidem huic loco a scholiasta: ὁ Τισαμενὸς ὡς ξένος καὶ μαστιγίας κωμῳδεῖται, e quo coll. schol. Arist. Av. 31 Οὗτός ἐστιν (sc. Σάκας) Ἀκέστωρ, τραγῳδίας ποιητής. ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Σάκας, διὰ τὸ ξένος εἶναι. Σάκαι δὲ ἔθνος Θρακικόν Θεόπομπος δὲ καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ Σάκαν προσηγόρευσεν Τισαμενόν. ὁ δὲ αὐτὸς καὶ Μυσὸν ἐκάλεσεν efficiat quispiam patrem Acestoris tragici esse illum Tisamenum a Theopompo toto dramate illusum; sed haud scio an recte illic pro Τισαμενόν scribant Τισαμενῷ coll. schol. Arist. Vesp. 1221 τὸν Ἀκέστορα ξένον κωμῳδοῦσι τὸν τραγικὸν ὃς ἐκαλεῖτο Σάκας. Θεόπομπος Τισαμενῷ οὐ κοινῶς ξένον, ἀλλὰ Μυσόν κτλ. Vereor enim, ne pater Acestoris fuerit et natu maior, quippe cuius filius iam in Arist. Vespis 1221 (a. 422) commemoretur, et obscurior, quam ut Theopompo, posteriorum veteris comoediae temporum poetae. integra fabula cavillandi materiam praebuerit.[37])

Quod ad tempus attinet comoediae, non multum a vero aberrare eum credo, qui fini saec. V eam ascribit et Tisameno convenienti et Theopompo. Neque repugnat Acestoris

---

[37]) Filium Acestoris fuisse Tisamenum oratorem Muellerus Strubingensis contendit, qui in libro Aristoph. u. die hist. Krit. p. 550 sqq. uberius de hoc viro disputavit: *Μηχανίων*, quod patris nomen est apud Lys. l. l., iocosum cognomen esse suspicabatur tragici poetae machinis illis theatralibus nimis saepe usi (l. l. p. 556). Sed mihi non persuasit (secutus est Muhl Progr. [v. adn. 21] p. 123): nam comici poetae eiusmodi cognominis inventores essent putandi, quod nusquam comparet iis, quibus Acestorem rident, locis: sunt Cratin. fr. 85 (Ko. I 39); Arist. Vesp. 1221; Av. 31 sq.; Eupol. fr. 159, 14 sqq. (Ko. I 301); Call. fr. 13 (I 696); Metag. fr. 13 (I 708); Theop. fr. 60 (I 749). Praeterea ipse Muellerus alia nominis exempla protulit e lapidibus collecta, p. 557 sq. — *Κλαυσαμενός* apud Cratin. fr. 104 (Ko. I 46) eundem atque *Τεισαμενός* fuisse Muhl coniecit Progr. p. 115.

commemoratio, qui etsi iam a Cratino Eupolide (in Adul.) Aristophane (in Vesp.) illuditur (cf. adn. 37), tamen apud Metagenem quoque in Φιλοθύτῃ occurrit, quam fabulam cum fr. 13 (Ko. I 708) etiam „τὸ Καλλίου νόθον“ civium ascriptum esse queratur quisquis loquitur, nec ipsam ante finem saeculi V in scaenam commissam esse facile sibi persuadebit, quicunque de illo notho quae affert Andoc. I 124 sqq. perlegerit (cf. Kirchn. II 80).

Strattidis Καλλιππίδης.

Saeculo quinto probabili ratione attribui potest etiam Callippides Strattidis (Mein. h. cr. 226; Ko. I 714 sq.); quam enim Meinekius protulit coniecturam, fabulam titulum duxisse ab histrione tragico huius nominis celeberrimo, rectam esse opinor; nomen Athenis rarum, [38]) tragoedumque, qua erat sui ipsius aestimatione (cf. Xen. Conv. 3,11; Plut. Agesil. 21 = Moral. 212 F), ludibrio fuisse comicis poetis facile potest credi, praesertim cum etiam artem eius reprehensiones passam esse cognitum habeamus ex Aristot. Poet. 26, p. 1462 a 9 εἶτα οὐδὲ κίνησις ἅπασα ἀποδοκιμαστέα, εἴπερ μηδ᾿ ὄρχησις, ἀλλ᾿ ἡ φαύλων, ὅπερ καὶ Καλλιππίδῃ ἐπετιμᾶτο καὶ νῦν ἄλλοις, ὡς οὐκ ἐλευθέρας γυναῖκας μιμουμένων. Quamobrem Mynniscus collega πίθηκον eum appellasse fertur (id. ib. p. 1461 b 36). Praeterea cf. Ep. Socrat. 14, 3, ubi Meleto Socratem accusanti socii verba subiecisse dicuntur „καθότι καὶ Καλλιππίδῃ τῷ ὑποκριτῇ“ (ed. Herch. p. 620).

Quae tradita sunt de hoc histrione, collegit Voelkerus De Graecorum fabularum actoribus, Dissertationes philolog. Halenses IV (1880) p. 177 sqq., qui et ipse Meineki de fabula Strattidea coniecturam probat atque, id quod verum esse haud negaverim, narratiunculam illam, qua Sophocli immatura uva

---

[38]) Quinque exempla apud Kirchn. I 535.

a Callippide histrione dono missa morti fuisse traditur,[39]) e comicorum iocis natam opinatur (l. l. p. 180).

In comoedia isto titulo excepto semel Callippides nominatur, ab Aristophane in Σκηνὰς καταλαμβανούσαις fr. 474 (Ko. I 514; rest. Toupius).[40])

Floruisse videtur Callippides fere ultimis quinque lustris saeculi quinti: victoriam eius anno 418 partam lapis testatur IG II 972 = Wilh. Urk. p. 51,2. Duris Samius quod memoriae prodidit (Plut. Alcib. 32; Athen. XII 535 d) Callippidem a. 408 Alcibiadis Athenas redeuntis comitem magnificentissimo tragoedi ornatu instructum munere hortatoris remigum functum esse, quatenus de aetate agitur, pro testimonio potest haberi, licet fictum sit (quae sententia fuit Plutarchi l. l. Voelkero repugnante). Idem de illa Sophoclis mortis narratiuncula iudicandum. Qua ratione Strattideae comoediae tempus certius possit definiri, nescio.

Novum fragmentum legitur in Photio Reitzensteinii p. 97, 21.

Strattidis Μακεδόνες ἢ Παυσανίας et Κινησίας.

De duabus Strattidis comoediis simul agendum est, cum quodam modo inter se cohaereant; titulos habent Μακεδόνες ἢ Παυσανίας (Mein. h. cr. 231 sq.; Ko. I 718 sqq.) et Κινησίας (Mein. h. cr. 227 sqq.; Ko. I 715 sqq.). Illa quater laudatur titulo Μακεδόνες (Athen. VII 302 e; 323 b; Harpocr. s. τοπεῖον; Bekk. Anecd. 108, 29 = fr. 31. 28. 30. 32 Ko.), semel ἐν Παυσανίᾳ (Athen. XIV 654 f = fr. 27 Ko.), semel ἐν Μακεδόσιν ἢ Παυσανίᾳ (Athen. XIII 589 a = fr. 26 Ko.); propter hunc locum omnia fragmenta ab editoribus sub titulo duplici ponun-

---

[39]) Vit. Soph. apud Westerm. Biogr. Gr. p. 130; [Luc.] Macrob. 24. Auctor est Neanthes, qui saepius e comoedia hausit, cf. Piccolomini Studi di Filolog. Greca I 256; Leo Griech.-röm. Biogr. 113.

[40]) Ab Arist. Nub. 64 nomen affertur in exemplis nominum per ἵππος formatorum.

tur, ut par est:[41]) nam saepe et apud Athenaeum et alios scriptores modo duplex titulus comoediae, modo altera tantum pars laudatur. — Pausanias ille quisnam sit, non constat; Meinekius cum Pausanias, Macedonum rex, Aeropi filius, qui post mortem Archelai aetate turbulenta per exiguum temporis spatium regnum obtinuit (Diodor. XIV 84: cf. Schaefer Dem. II² 7), parum nobilis ei videretur, de Pausania ἐκ Κεραμέων (Kirchn. 11717) cogitavit, illo Agathonis tragici amatore, quem Plato dignum putavit, qui convivio divino interesset. Ille enim amatum in Macedoniam ad Archelaum regem proficiscentem comitatus esse dicitur (Schol. Plat. Conv. 172 a = Cramer. Anecd. Ox. IV 269, 22; Ael. V. h. II 21). Qua coniectura quamvis argumentis aliunde petitis firmari non possit, aliam non habeo meliorem.[42]) Illam si sequemur, sumendum erit Pausaniam postea Athenas rediisse, quod quamquam non traditur mirum non potest videri, quoniam Agathon iam ante Archelai mortem (a. 399) e vita discessisse videtur.[43]) Pausaniam in Macedonia versantem per totam fabulam in Atheniensium scaena comica traductum esse nemo crediderit.

Incertum autem est, num altera tituli pars ab ipso poeta sit profecta, quod negavit Haasius l. l. I 47. Meinekius eam ad iteratam fabulae recensionem voluit referri. Si non debetur poetae, falso hoc loco titulum positum esse concedo.

Accedamus ad Cinesiam. In omnibus fragmentis apud Kockium (sunt numero novem) hic titulus simplex invenitur:[44])

---

[41]) Apud Suidam s. v. *Στράττις* uterque titulus singillatim enumeratur, ita ut duae diversae comoediae intellegendae sint; sed quod solus titulus *Παυσανίας* alphabeticum ordinem in catalogo fabularum adhibitum turbat, suspicionem movet, ne falso seiuncti sint tituli; cf. de Strattidis vita in Suidae lexico servata Wagner Diss. p. 34 cum adn. 6.

[42]) Intellegat fortasse aliquis amatorem Laidis Thessalum coll. fr. 26 et Athen. XIII 589 a b (cf. infra s. tit. *Ἀντιλαΐς*): sed incertum hoc.

[43]) Cf. Schol. Arist. Ran. 85. Rischl De Agathonis aetate Opusc. I 429 sqq. 434; Usener Fleck. Jahrb. 139 (1889) p. 375 sq.

[44]) Excepto fragmento 21 (= Erot. 85, 14), ubi *ἐν κινηγοῖς*, quod ego quidem non sine dubitatione in *Κινησίᾳ* correxerim.

praecipue velim respicias Harpocr. s. v. Κινησίας, qui commemoratis Lysiae in eundem orationibus sic pergit: εἴη δ' ἂν οὗτος ὁ διθυραμβοποιός, οὗ μέμνηνται πολλάκις οἱ κωμικοὶ καὶ Στράττις ὅλον δρᾶμα ποιήσας εἰς αὐτόν, ὅπερ ἐπεγράφη Κινησίας (= fr. 19 Ko.); deinde Athen. XII 551 d ἦν δὲ ὄντως μακρότατος καὶ λεπτότατος ὁ Κινησίας, εἰς ὃν καὶ ὅλον δρᾶμα γέγραφε Στράττις Φθιώτην Ἀχιλλέα αὐτὸν καλῶν, διὰ τὸ ἐν τῇ αὑτοῦ ποιήσει συνεχῶς τὸ Φθιῶτα λέγειν. παίζων οὖν εἰς τὴν ἰδέαν αὐτοῦ ἔφη Φθιῶτ' Ἀχιλλεῦ (= fr. 18 Ko.); neque aliter Schol. Arist. Ran. 404 Στράττις ἐν τῷ εἰς αὐτὸν (sc. Κινησίαν) δράματι (= fr. 15 Ko.).[45]) Concedes titulum Cinesias bonis testimoniis non carere. Sed semel laudatur Στράττις ἐν Μακεδόσιν ἢ Κινησίᾳ (apud Athen. IX 396 a = fr. 29 Ko.), quod Meinekius h. cr. 231 Kockio sequente et Kaibelio (in edit. Ath.) mutavit in Μακεδόσιν ἢ Παυσανίᾳ; sed quoniam hic titulus duplex ipse una nititur citatione (v. supra p. 24), eodem iure quispiam illic Παυσανίᾳ e Κινησίᾳ corruptum autumet, qua re efficiatur, ut omnes versus simplici titulo Μακεδόνες laudati sub duplicem titulum Μακεδόνες ἢ Κινησίας sint colligendi atque comoediae Pausanias inscriptae unum tantummodo restet fragmentum (v. supra p. 24). Sed non sine causa suum iudicium videtur fecisse Meinekius vir praeclarus; primum illa, opinor, spectavit tituli Κινησίας testimonia supra exscripta, deinde inter Macedones et Pausaniam rationem, quae intercederet, potuit investigare (v. supra p. 25), inter Macedones et Cinesiam, opinor, non item.

Sed non probavit illam mutationem Hippolyto Haas l. l. I 47, qui cum omnes veteris comoediae titulos, qui non a choro sumpti sunt, suspectos habeat, et illo Athenaei loco veram comoediae alias Κινησίας nominatae inscriptionem servatam esse suspicatur, vel potius in priore illius indicis parte Μακεδόνες: at ista ratione duae repente nascuntur co-

[45]) Conferas, quae de Platonis Hyperbolo et Cleophonte simillima adnotarunt veteres (supra p. 19. 20).

moediae eiusdem poetae, quibus idem erat titulus Μακεδόνες, siquidem etiam indicis Μακεδόνες ἢ Παυσανίας posteriorem partem succidere volt Haasius (fortasse recte, cf. supra p. 25); quod quamvis non careat exemplis — Menander duas fabulas scripsisse videtur Ἀδελφοί appellatas — tamen hic ut credatur, aliis opus est argumentis. Sed profert Haasius: ex Athenaei loco XII 551 d (quem exscripsimus p. 26) comparere dicit Cinesiam a poeta non proprio nomine ornatum in scaenam demissum esse, „quippe quem nomine Ἀχιλλεύς vel Φθιώτης induxerit", itaque non potuisse proprio nomine comoediam inscribi. Sed ego nullam video necessitatem, qua ad hanc conclusionem cogamur, non magis quam in Autolyco Εὐτρήσιος appellato (cf. supra p. 17): immo potuit sane vel chorus vel persona aliqua in ipsa comoediae continuatione Cinesiam „Φθιῶτ' Ἀχιλλεῦ" alloqui, etiamsi hic suo proprio nomine insignitus prodiit. — Sed explicaverit fortasse (id quod ipse Haasius non facit) aliqui Haasii coniecturae fautor Athenaei verba παίζων οὖν εἰς τὴν ἰδέαν αὐτοῦ ἔφη Φθιῶτ' Ἀχιλλεῦ ita, ut ornatum Achilleum personamque, quibus indutus productus sit Cinesias, vocibus εἰς τὴν ἰδέαν significatam esse dicat: tamen non assentiar potius Kaibelium secutus, qui in editione Athenaei lacunam post Φθιῶτ' Ἀχιλλεῦ statuit iocum, quo misera dithyrambici poetae corporis forma illudebatur, excidisse ratus; nam hoc voluit Athenaeus testimonio allato docere Cinesiam fuisse „ὄντως μακρότατον καὶ λεπτότατον".

Mira autem argumentatione Haasius nobis studet probare chorum Macedonum in hac quoque comoedia (sicut in Macedonibus vel Pausania) a poeta esse adhibitum: „cum Phthia regio Macedoniae vicina esset, chorus Macedonum etiam in hac comoedia miri quid habere nequit": ergo quia Phthiotis regio est eius Thessaliae partis, quae maxime ad meridiem vergit, Macedonia autem finitima est Thessaliae septentrionali, Macedonum chorus nemini offensioni potest esse. Equidem credo Cinesiae ne in Achillem quidem commutato quicquam fuisse cum Macedonibus, potius cum Myrmidonibus; quod si

reputabis, mire accidere concedes, quod ipsius Strattidis comoedia Μυρμιδόνες appellata laudatur a Polluce 9, 78 (= fr. 36 Ko.).[46]) Atque quoniam ex illo Athenaei loco, quem supra memoravimus (v. p. 26), potest concludi Cinesiam in personam Achillis indutum produxisse Strattidem, id quod concludi necesse esse putavit Haasius, quivis periclitetur coniecturam loco illo Athenaei (IX 396 a) pro ἐν Μακεδόσιν ἢ Κινησίᾳ scribendum esse ἐν Μυρμιδόσιν ἢ Κινησίᾳ.[47]) Quae coniectura tamen pro valde incerta haberi debet: cur enim ceteris locis (et apud Suidam) semper titulus Κινησίας inveniatur eundemque tam expressis verbis testetur Harpocratio, difficile sit explicare.

Cinesias, in quem istam comoediam scripsit Strattis, minime ignotus est[48]) et propter habitum corporis (μακρότατος καὶ λεπτότατος Athen. l. l.) et propter poesin saepissime comicis irrisus.[49]) Primum, quantum nos quidem de temporibus iudicare possumus, commemoratur in Aristoph. Avibus v. 1372 sqq., ubi eum proprio nomine in scaenam inductum illudit summus poeta. Strattidis Cinesiam post a. 406/5 doctam esse e schol. Aristoph. Ran. 404 sequitur: χρόνῳ δ᾽ὕστερον οὐ πολλῷ τινι (i. e. post Calliam archontem, qui illo anno munere functus est) καὶ καθάπαξ περιεῖλε Κινησίας τὰς χορηγίας· ἐξ οὗ καὶ Στράττις ἐν τῷ εἰς αὐτὸν δράματι ἔφη κτλ. (sequitur fr. 15 Ko.). Initio autem demum saeculi quarti ascribet comoediam, quisquis considerarit auctore Harpocratione s. Κινης. (= fr. 19 Ko.) Strattidem in hac comoedia ἀσέβειαν hominis perstrinxisse, atque comparaverit illud fragmentum e Lysiae oratione Ὑπὲρ Φανίου πρὸς Κινησίαν servatum (OA II 192 sq. = Athen. XII 551 d sqq.): οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ

[46]) In titulorum Strattideorum catalogo, quem Suidas praebet, fabula omittitur.

[47]) Aristoph. Ran. versus 1264/5 (*Φθιῶτ᾽ Ἀχιλεῦ κτλ.*) ex Aeschyli Myrmidonibus petiti sunt (Schol. ad loc.; cf. Nauck TGF² p. 43).

[48]) Cf. Kirchn. s. *Κινησίας Μέλητος* 8438.

[49]) Cf. Lys. apud Harpocr. s. *Κινησ.: καὶ οἱ κωμῳδοδιδάσκαλοι καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν γράφουσιν εἰς αὐτόν.*

τοιαῦτα περὶ θεοὺς ἐξαμαρτάνων, ἃ τοῖς μὲν ἄλλοις αἰσχρόν ἐστι καὶ λέγειν, τῶν κωμῳδοδιδασκάλων ⟨δ'⟩ ἀκούετε καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν; nam ista Lysiae oratio in Cinesiam natu grandiorem videtur habita esse, quod haec de dithyrambico dicit orator (ib.) αὐτὸν ἀφέμενον τῆς τέχνης συκοφαντεῖν καὶ ἀπὸ τούτου πλουτεῖν. — Ad idem tempus, annum scilicet fere 388, perducimur, si, quod Thrasybulo αὐθάδειαν in Cinesia exprobrat Strattis (fr. 17 Ko.), cohaeret cum ultimis Stiriensis expeditionibus criminationibusque, quibus propter pecunias exactas insimulabatur, ut voluit Kirchn. s. n. Θρασύβουλος Λύκου Στειριεύς 7310 (I 479) secutus Frohbergerum, Die letzten Lebensjahre des Thrasybul von Steiria Philolog. XVII (1861) p. 437 sqq.

Aristophontis Φιλωνίδης.

Subsequatur Philonides Aristophontis (Mein. h. cr. 410; Ko. II 281), quem poetam omnes mediae comoediae accensent. Istam fabulam ex coniectura Hanovii (Exercitatt. crit. in comicos Graecos [Hal. 1830] p. 29) ad Philonidem Melitensem referunt (Kirchn. 14907) non unico, quod restat, fragmento adducti, sed propterea, quod hic Philonides solus in aliis quoque comoediis illudebatur: Aristoph. Plut. 179 et 302 sqq. eum propter divitias a Laide [50]) meretrice Corinthiaca amatum dicit et e scholiis illi loco ascriptis comperimus alios comicos eundem Philonidem derisisse ut ὄνον,[51]) εὔπορον, μέγαν τῷ σώματι, ἠλίθιον etc.: cf. Plat. fr. 64 (Ko. I 618); Theop. fr. 4. 5 (I 734); Nicochar. fr. 3 (I 771); Philyll. fr. 23 (I 787). Facile igitur credimus fieri potuisse, ut etiam tota comoedia in hunc hominem divitem et luxuriosum scriberetur.

Hanovius l. l. p. 30 ceteris de viro testimoniis (quae nunc apud Kirchn. l. l. collecta leguntur) collatis eius vitae aetatem olympiadibus 90 (= 420—17) et 107 (= 352—49)

---

50) Laide dico consulto, non Naide, cf. infra s. tit. *Ἄντεια*.

51) Hoc Wilh. Urk. p. 127 optime eo interpretatur, quod Philonidis patri nomen Onetoris fuisse verisimile est: filium enim habuit sic appellatum.

terminavit; sed hunc alterum terminum tantum propter comoediam Aristophontis statuit. quippe quem poetam medio saeculo quarto floruisse putaret. Qua in re Kockium I 617 sq. habuit assentientem. Attamen non probabile mihi videtur Philonidem usque eo in vita fuisse: primum enim omnes illi poetae, qui eius mentionem habent, priore fuerunt aetate: erant aequales Aristophanis quamvis partim aliquantum natu minores, qui initio quarti saeculi videntur fabulas docuisse. Nicochares eodem anno, quo Aristophanes Plutum, Lacones docuit (Argum. IV Pluti), Philyllius in catalogo victorum Lenaicorum secundo post N[icocharem] loco positus est (IG II 977 d = Wilh. Urk. p. 123), ante quem Theopompus quinto loco (cf. Suid. s. Θεόπ.: ἔστι . . τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας κατὰ Ἀριστοφάνην). Plato nonnullas iam quinto saeculo scripsit fabulas. Deinde pro certo puto demonstrari posse Philonidem anno 366 mortuum fuisse; erat enim pater Onetoris, adversus quem Demosthenes orationes XXX et XXXI habuit, et socer Aphobi, famosi illius Demosthenis tutoris: Philonidis filia, Onetoris soror, huic nupsit ἐπὶ Πολυζήλου ἄρχοντος Σκιροφοριῶνος μηνός, i. e. mense Junio vel Quinctili anni 366:[52]) cum matrimonium inirent, Onetori fratri dos erat solvenda (Dem. XXX 4. 7. 33); qua ex re licet concludere tunc temporis patrem ex vivis iam decessisse.[53]) Ergo Aristophontis Philonidem, nisi forte ab alio huius nominis viro titulum accepit, ante a. 366 doctam sumamus necesse est: cui sententiae nil in fragmentis poetae, quantum video, repugnat; atque nil impedit, quominus in primis poetae fabulis istam fuisse coniciamus. Id quidem eo commendatur, quod prima Aristophontis victoria Lenaica demum in annum fere 350 cadit, quantum

---

[52]) Dem. XXX 15; cf. XXVII 56; XXIX 48. Divortium factum est *ἐπὶ Τιμοκράτους Ποσειδῶνος μηνός*, i. e. mense Decembri vel Januario anni 364/3, Dem. XXX 15.

[53]) Patrem opulentum fuisse (cf. Arist. Plut. 179 *ἐρᾷ δὲ Λαὶς οὐ διὰ σὲ* [sc. *τὸν Πλοῦτον*] *Φιλωνίδου*;) filii divitiae confirmant, quem triginta talenta habuisse Dem. XXX 10 auctor est.

colligitur e comicorum Lenaeis victorum laterculo, ubi eius nomen post Alexidis legimus insculptum (IG II 977 f col. III v. 12 = Wilh. Urk. p. 122/3; cf. ib. p. 127). Sed magnum temporis intervallum inter primam, quam poeta docuit, fabulam interiectum et primam victoriam ne aliis quidem exemplis caret: in eodem catalogo Timocles uno tantummodo nomine a Menandro separatus legitur, qui non ante a. 322/1 in comicum certamen descendit; attamen Timocles ante annum 340 comoedias scripsisse videtur (cf. Wagner Diss. p. 28/9).

Eubuli Διονύσιος.

De Eubuli Dionysio (Mein. h. cr. 361 sqq.; Ko. II 173 sq.) quod meris coniecturis possumus supersedere, Athenaeo debemus haec adnotanti VI 260 c: τὰ παραπλήσια ἐποίει (amabat convivia comissationesque ut Philippus Macedo) καὶ ὁ Σικελιώτης Διονύσιος, ὡς Εὔβουλος ὁ κωμῳδιοποιὸς παρίστησιν ἐν τῷ τοῦ τυράννου ὁμωνύμῳ δράματι (sequitur fr. 25 Ko.). Quoniam in fr. 26/7 Ko. poeta tragicus loqui videtur,[54]) non dubito, quin Dionysii poesin tragicam castigarit comicus, illaque verba ipsius fortasse tyranni erant existimantium severitatem questi, qua ut Euripidis ita suos versus insectarentur. Quare nequaquam nego ex Eubuli comoedia originem traxisse, quae narrat Luc. adv. ind. c. 15: Dionysium Aeschyli[55]) pugillares emisse, ut sibi tragoedias facienti ingenium illius ex eis afflaret: id quod Meinek. suspicatus est l. l. Sed Dionysium versificatorem nil opinor curabant Atheniensium poetae comici[56]) ante,

---

[54]) = Schol. Eur. Med. 476 a Schwartzio (II 169 sq.) sic restitutum: *Εὐριπίδου [δ'] „ἔσωσά σ', ὡς ἴσασι⟨ν Ἑλλήνων ὅ⟩σοι“ | καὶ „παρθένε εἰ σ⟨ώσαιμί σ'⟩ ἕξεις μοι χάριν“ | καὶ τοῖς ἐμοῖσιν ἐγγελῶσι πήμασι | τὰ σῖγμα συλλέξαντες ὡς αὐτοὶ σοφοί.*

[55]) Vel potius Euripidis: eius enim mortui *ψαλτήριον δέλτον γραφεῖον* emisse Dionysium narraverat Hermippus: v. Eurip. vit. ap. Westerm. Biogr. gr. p. 138, 98 sqq.

[56]) Commemorantur eius tragoediae etiam ab Ephippo fr. 16 (Ko. II 259), in comoedia *Ὅμοιοι ἢ Ὀβελιαφόροι.*

quam commutatis publicis Athenienses inter et tyrannum rationibus[57]) hic ab illis invitatus Lenaeis a. 367 tragoediam in scaenam commisit, atque victoriam ei concesserunt. Ergo admodum verisimile puto Eubuli comoediam anno proximo (366) doctam esse: sed tum Dionysius mortuus erat; decessit sub finem anni 367. Quod utrum inopinante Eubulo acciderit consilio Dionysii ridendi capto an capiendi consilii occasionem demum dederit, non audeo discernere.[58])

Aristophontis Πλάτων.

Aristophontis comoediam Plato nominatam (Mein. h. cr. 287 sqq.; Ko. II 279) ad philosophum referebant editores, quod nemini nimis audacter videbitur iudicatum, praesertim cum virum praeclarum illius aetatis comici saepius lacessiverint.[59]) In unico quod restat fabulae Aristophonteae fragmento (Athen. XII 552 e) patrem cernimus adulescentem Phidippidis similem ad philosophum adducentem atque hunc promittentem: ἐν ἡμέραις τρισὶν ἰσχνότερον αὐτὸν ἀποφανῶ Φιλιππίδου:[60]) vel hoc frustulo imitator ostentatur Aristophon scriptoris Nubium; apte comparat Helmius l. l. Nub. v. 501 sqq. In ceteris Aristophontis versiculis nusquam Platonis fit mentio, sed alioquin philosophorum irrisione illum delectatum esse titulus Πυθαγοριστής edocet (Ko. II 279) et inprimis fr. 9. 10. 12. 13. — Quod ad tempus attinet fabulae, Bergkius (Griech. Litt.-Gesch. IV 167) paulo post philosophi mortem eam scrip-

---

[57]) A. 368 Dionysius eiusque filii civitatem Atticam acceperunt; vere a. 367 foedus ictum est. Cf. Schaefer Dem. I² 90 sq.; Ed. Meyer Gesch. des Altert. V 442 sq.; Niese apud PW V 896 sqq.

[58]) E praesenti tempore *ἔστι* fr. 25 cognosci nequit, utrum ante Dionysii mortem an post eam fabula scripta sit, si, id quod verisimile est, ipse tyrannus a poeta in scaenam est introductus; aliter Kaibel ap. PW VI 878.

[59]) Locos nunc collectos invenies atque tractatos ab Helmio Lucian u. Menipp p. 376 sqq.

[60]) Similiter iocatur Hermippus fr. 35, 3 (Ko. I 233) = Athen. XII 551 a b.

tam dixit; nonne maiorem tribuimus honorem et poetae et Atheniensibus spectatoribus, si potius vivum Platonem quam recens mortuum tota comoedia irrisum esse existimamus?

Timoclis Ὀρεσταυτοκλείδης.

Discrepat a titulis adhuc prolatis forma quodam modo Timoclis Orestautoclides (Mein. h. cr. 432 sq.; Ko. II 462 sq.) propter alteram tantum partem huc revocanda. Ceterum eiusmodi comoediae inscriptio minime est inaudita: conferas Aeolosiconem Aristophanis, Sphingocarionem Eubuli (Ko. II 201), Manectorem Menecratis,[61] Dionysalexandrum Cratini, Demotyndareum Polyzeli, denique nuper innotuit Ἀνθρωφηρακλῆς Pherecratis (Phot. Reitzenst. p. 145, 24/5).[62] Tamen hac re ab istis titulis differt Orestautoclides, quandoquidem non quodlibet nomen vel servile vel aliud nomini heroico affixum est, sed nomen verum Atheniensis cuiusdam quarti saeculi, Timoclis aequalis: nam Meinekio omnes iure assentiebantur, qui Autoclidem illum παιδεραστὴν σφοδρόν (Aesch. I 52; Harpocr. s. v.) intellexit eundemque propter ipsum puerorum amorem

---

[61]) Nomen per *Μάνης* et *Ἕκτωρ* est formatum: Manes servi nomen usitatum, v. Pher. fr. 10 (Ko. I 147); Arist. Pac. 1146; Lys. 908 saepius. Fragmentum Manectoris — adhuc titulus notus e Suida solo, Mein. h. cr. 493 — nunc in Photio Reitzensteinii p. 145, 13 legitur; p. XXIV editor antiquae comoediae Menecratem accenset. Cum *Μανέκτωρ* bene confertur titulus *Δουλομελέαγρος* (coni. Bernhardy pro *Δοῦλος Μελέαγρος*) Rhinthonis Kaibel C G F. I 186 et Dulorestes Pacuvii (Ribb. T R F² p. 91); cf. *Ἡρακλειοξανθίας* Arist. Ran. 499.

[62]) Cf. Grauert Rh. Mus. II (1828) 61 sq.; Helm Luc. u. Menipp p. 110 sq.: memineris Icaromenippi Lucianei. Titulo *Ἀνθρωφηρακλῆς* nixi Strattidi restituere debemus *Ἀνθρωπορέστην* (Ko. I 711 sq.), praesertim cum tradita sit haec inscriptionis forma apud Athen. III 127 d, in schol. Eur. Or. 279 tribus codicibus (I 127 Schwartz), apud Suid. s. v. *Στρ.*: unus codex schol. Eur. l. l. praebet *ἀνθρωποραίστῃι* (sic). Laevius scripsit Protesilaudamiam et Sirenocircam (Muell. ed. Catull. p. 81. 82); de Oedipothyeste, Varronis satura Menippea (Buech. ed. Petr.³ p. 198), monuit me Fr. Muenzer. — Tales titulos inprimis ab ipsis poetis repetendos esse arbitror, neque debebat Haasius titulum *Διονυσαλέξανδρος* delere velle, de qua comoedia paulo ante argumentum repertum (Oxyrh. Pap. IV 69 sqq.) egit l. l. II 6.

a meretricibus statuit quasi a furiis in illa comoedia fuisse agitatum: cf. Athen. XIII 567 e = fr. 25 Ko.

περὶ δὲ τὸν πανάθλιον
εὕδουσι γρᾶες, Νάννιον Πλαγγὼν Λύκα
Γνάθαινα Φρύνη Πυθιονίκη Μυρρίνη
Χρυσὶς Κοναλλὶς Ἱερόκλεια Λοπάδιον.[63])

De tempore comoediae Wagnerus egit (Diss. p. 14 sq.) atque annis fere 335—30 voluit eam scriptam esse. Contra Koertius (in recensione dissertationis B Ph W 26 [1906] 901). propius ab anno 345 eam collocandam censet: „Durch den Skandalprozeß des Timarchos, inquit, im Jahre 345, in dem außer Aischines auch Aristogeiton (Harp. s. v. Αὐτοκλείδης) die Leidenschaft des Autokleides für Männer hervorgehoben hatte, ist der Spott der Komiker auf ihn genau so wie auf Misgolas den Freund der Kitharöden (Aisch. I 41) heraufbeschworen worden.“ Argumenta illa, quibus Wagnerus ad tempus comoediae definiendum usus est, non sufficere Koertius demonstravit: ante annum 335 ille noluit fabulam ponere, ne Gnathaena, quam in catalogo illo meretricum enumerat Timocles, nimio aetatis spatio a Diphilo amatore seiungeretur: qui cum etiam anno 289 in vivis (Plaut. Most. 1149; cf. Hueffner De

---

[63]) Luculentum hic habemus in media comoedia chorum. Quem Hermannus Schoene post singulos actus confectos cantatum saltatumque prodiisse opinatur non aliter atque *κῶμον* illum adulescentium, quo cum alios tum Menandrum saepius pro choro usos esse nuper docuit Fr. Leo Herm. XLIII (1908) 116; 308 sqq. (cf. Koerte ib. 299 sqq.). Sed in Timoclis Orestautoclide meretrices arte cum dramatis actione coniunctae fuisse videntur, quamobrem paulo maiores crediderim hunc Timoclis chorum in fabula egisse partes quam qui solum dum histriones personas mutarent delectaret spectatores. Ceterum, quia nuperrime de mediae novaeque comoediae choro viri docti disseruerunt, liceat nonnullos commemorare titulos, quibus chorus significari videatur: *Ἱππεῖς Λήμνιαι* Antiphanis, *Νηρηΐδες Πόλεις* Anaxandridis, *Λαμπαδηφόροι* Philetaeri, *Ἀμαζόνες* Epicratis, *Γίγαντες* Cratini iunioris, *Δημοσάτυροι* *Ἥρωες* (?) *Ἰκάριοι Σάτυροι* Timoclis, *Ἥρωες* (?) *Μυρμιδόνες* Philemonis, *Δαναΐδες Λήμνιαι* Diphili. Praeterea manifesto chorum deprehendimus Antiphan. fr. 91 (Ko. II 48), Alex. fr. 237 (II 383), Henioch. fr. 5 (II 433, cf. infra p. 39).

Plauti com. exemplis Att. quaestiones max. chronologicae [Diss. Gott. 1894] p. 68) neque tum plus sexaginta annos natus fuisse videretur, non ante 349 annum eius natalem nobis licere sumere. Sed et sexaginta annos Diphilo anni 289 suo arbitrio Wagnerus dedit et fortasse paulo plures anni, quam quot hic concessit, inter meretricis et amatoris dies natales intererant (cf. Koerte l. l. 900 sqq.). At tamen facere non possum, ut Koerti opinionem sequar: non quo negem Aeschinis oratione Timarchea factum esse, ut Misgolas citharoedorum formosorum amator comicos irrisores invenisset (Antiphan. fr. 26, 14 sqq., Ko. II 20; Alex. fr. 3, II 298; Timocl. fr. 30, II 464), sed Misgolae vitam orator copiose illustrat. Autoclidem obiter commemorat cum aliis (§ 52 ὑπερβαίνων τούσδε τοὺς ἀγρίους, Κηδωνίδην καὶ Αὐτοκλείδην καὶ Θέρσανδρον), neque usquam, ni fallor, Aristogito quoque traditur in eadem illa causa accusator Timarchi exstitisse atque in sua oratione Autoclidis mentionem habuisse; quod s. Αὐτοκλείδης Harpocr. annotat, ad Aristogitonis orationem κατὰ Τιμάρχου videtur pertinere a Suida memoratam (ἐπίτροπος — αἱρεθεὶς Ἀριστογείτονος ἀντειπόντος ἐκωλύθη; Sauppe O A II 310), quae quo anno habita sit, nescimus.[64]) Autoclidem autem postea vel lite aliqua vel alia re, qua in offensam cecidit civium, nobis ignota comicorum oculos in se convertisse malim credere quam mera Aeschinis commemoratione. Sed ut paulo posteriore tempore fabulam scriptam putem, hac moveor causa: Sinopam desidero in choro muliercularum, celebrem illam, multum comicis nominatam,[65]) quae post annum 342 nondum desita est

---

[64]) Cf. Schaefer Dem. II² 337 adn. 2; ante a. 345 eam scriptam volunt (cf. Kirchn. I 123), quia Timarchus post Aeschinis accusationem ab omnibus honoribus exclusus est (cf. Schaefer 342).

[65]) Antiphan. fr. 26, 12 (Ko. II 20, in *Ἁλιευομένῃ*, quam fabulam propter Misgolam commemoratum [v. supra] paulo post a. 345 collocant [Mein., Ko., Wagn. Diss. p. 25, Koerte l. l.]); 22 (II 18); 41 (27); 116 (57); 170 (80); Alex. fr. 104 (II 333); Amph. fr. 23 (II 242); Anaxil. fr. 22, 12 (II 270); Callicrat. fr. 1 (II 416).

illudi.[66]) Neque vero credo paulo post a. 345 Timoclem Sinopae persona chorum suum non locupletasse, praesertim quod, ut numerum compleret, ad nomina obscuriora ei confugiendum erat: de Conallide Hieroclea Lopadio aliunde nil nos quidem compertum habemus. Itaque post annum fere 340 potius Orestautoclidem compositam esse credam.

Mnesimachi Φίλιππος.

Ab homine nobiliore, quam qui ἄγριος ille Autoclides erat, denominata est Mnesimachi Philippus (Mein. h. cr. 423; Ko. II. 441 sq.), a rege Macedonum, quod admodum certe potest demonstrari. Primum enim aetas poetae congruit: cf. Suid. s. v. Μνησίμαχος· ποιητὴς τῆς μέσης κωμῳδίας. Porro in fr. 10 Dorionis tibicinis mentio inicitur, quem apud Macedonem commoratum esse dicunt: in convivio post pugnam Chaeroneensem celebrato tibiis cecinisse fertur (Theop. apud Athen. X 435 b; cf. Haupt Herm. VIII [1874], p. 10—12; v. Jan apud PW V 1563 sq.). — In fr. 7 militem aliquem gloriosum adversario se iactantem audimus: gladios acutos se suosque in cena solere comedere ardentesque faces et in mensis secundis sagittarum mucrones, pro pulvinis scutis se uti loricisque. Meinekius militis Macedonis iactationes vel ipsius Philippi agnoscere sibi visus est. Possunt autem verba, ni fallor, etiam oratoris fuisse Atheniensis belli cupiditate inflammati, veluti ipsius Demosthenis, quod non improbabile videbitur comparanti Timocl. fr. 12, 5 (II 457, a Kockio ad Mnesim. Phil. laudatum), et, hoc si accipimus, iocose opposita est putanda ista animi atque morum atrocitas convivio-

---

[66]) Antiphan. fr. 170, Neottidis; tempus ostendit antitheton illud famosum, quo in re Halonnesica usus est Demosthenes, derisum fr. 169, cf. Athen. VI 223 d sqq.; Mein. h. cr. 329; Schaefer Dem. II^2 439 cum adn. 4; concedendum est hoc fr. nil nobis tradi nisi *μνημονεύει δ' αὐτῆς* (sc. *Σινώπης*) *Ἀντιφάνης . . . ἐν Νεοττίδι* (Athen. XIII 586 a), itaque mortuae Sinopae mentionem habuisse poetam quispiam contenderit coll. Philem. fr. 16 (Ko. II 482) et Posidipp. fr. 12 (III 339): sed non verisimile hoc.

rum, quae illis temporibus Athenis fiebant, luxuriae. Quae interpretatio commendatur vocula σοί v. 2: ἆρ' οἶσθα<σύ>, | ὅτι ἡ πρὸς ἄνδρας ἐστί σοι μαχητέον, | οἳ τὰ ξίφη δειπνοῦμεν κτλ. Haec verba etiamsi ad unum quendam Atheniensem vel Graecum hominem, legatum vel imperatorem, dicta putantur, tamen ὑμῖν exspecto: σοί pronomine principem significari arbitror, prae quo ceteris nil est auctoritatis —, Philippum ipsum. Videmus igitur coniectura adhibita non nimis audaci principes viros civitatum illarum pugnantium, quarum altera principatum Graeciae tenuerat, altera appetebat, etiam in comica Atheniensium scaena adversantes eo ipso, quo in vita adversabantur, tempore.[67]) Nam e fr. 8 Ko. tempus fabulae, ni fallor, licet cognoscere: Athen. X 418 b c ut demonstret Pharsalios propter πολυφαγίαν derisos esse, et alios versus affert et hosce e Philippo Mnesimachea desumptos:

τῶν Φαρσαλίων
ἥκει τις, ἵνα <καὶ> τὰς τραπέζας καταφάγῃ;
— οὐδεὶς πάρεστιν. — εὖ γε δρῶντες. ἆρά που
ὀπτὴν κατεσθίουσιν πόλιν Ἀχαικήν;

Ultimum versum scribens poeta videlicet factum aliquod Pharsaliorum in animo habuit atque quod hoc fuerit, non difficile est intellectu. In actionibus, quae pacem Philocrateam (a. 346) inter Athenienses et Philippum factam antecesserunt, et alia erant componenda et controversia quaedam Pharsaliorum et incolarum Hali oppidi Phthiotici vel Achaici,[68]) quia „ἡ μὲν Φάρσαλος φίλη“ erat „τοῦ Φιλίππου, ὁ δὲ Ἅλος[69]) τῶν Ἀθηναίων“ (Schol. Dem. XIX 36). Eo tempore, quo Athenienses primum legatos de pace ad regem miserunt (initio anni 346), Parmenio

---

[67]) Philippus rex apud Antiphanem quoque fr. 124, 15 (Ko. II 60) commemorari videtur.

[68]) Cf. Strab. IX 433 *ἡ Ἅλος δὲ Φθιῶτις καλεῖται καὶ [ἡ] Ἀχαική*, et novum Aristophanis fragmentum ex Anagyro servatum apud Photium Reitzenst. 108, 15

χαίρειν μὲν Ἅλον τὸν Φθιώτην,
χαίρειν δ' ἀτεχνῶς Ἀναγυρασίους.

[69]) Strab. l. l. *ὁ Ἅλος ἢ ἡ Ἅλος· λέγεται γὰρ ἀμφοτέρως.*

Halum oppugnabat (Dem. XIX 163). Philocrates, id quod Demosthenes quidem tradit (l. l. 159), in primis pacis condicionibus, quas populo proposuit, Halios et Phoces a beneficio pacis exclusos voluit; populus autem hanc exceptionem (πλὴν Ἁλέων καὶ Φωκέων) delendam esse decrevit. Tamen Philippus eam flagitasse videtur (Dem. l. l. 174), et, quod in epistula ad Athenienses missa professus est adiuvantibus alteris Atheniensium legatis auctorem compositionis se fore (Dem. l. l. 36), numquam contigit; Halus expugnata est, incolae expulsi (Dem. l. l. 39. 334), oppidum Pharsaliis permissum (Dem. XI 1; Strab. l. l.). Quod quando factum sit, nescimus; accidisse autem non multo post illam pacem probabile est, certum ante Demosthenis orationem παραπρεσβείας a. 343 habitam.[70])

Hanc rem in versu Mnesimacheo significatam esse mihi persuasi; atque si non certo anno, attamen fere lustro 345—40 fabulam audeo ascribere; illud de Demosthene si recte disputatum est (v. supra p. 36), non repugnem, si quis cum magnis illis orationibus Demosthenis (de rebus Chersonnesi et tertia Philippica), quibus anno 341 (Schaefer Dem. II² 467) Athenienses ad bellum incitabat, fabulam dicat cohaerere. Tum Athenienses nondum rei Halicae, quam fortasse poeta nomine oppidi addito apertius significavit, obliti erant.

Heniochi Πολύευκτος.

Non multum a fabulae modo tractatae ratione afuisse suspicor Polyeuctum Heniochi (Mein. h. cr. 422; Ko. II 432), si recte Meinekius titulum a Polyeucto Sphettio,[71]) oratore illo insigni, Macedonum adversario, repetivit. Quod pro certo nemo potest affirmare. Primum enim nomen Atheniensibus usitatum erat,[72]) deinde alium novimus eiusdem temporis hominem non ignobilem eodem nomine ornatum, Κυδαντίδην

[70]) De universa hac re cf. Schaefer Dem. II² 196. 225. 228. 231. 257 sq. 261 sqq.

[71]) Cf. Kirchn. s. n. 11950 et s. *Ἡνίοχος* 6429.

[72]) 38 Polyeucti apud Kirchn. II 210 sqq. 480.

dico Πολύευκτον,[73]) in quem Hyperidis oratio III pro Euxenippo habita est; neque constat Polyeuctum „pulchrum“, quem Anaxandrides in Tereo fr. 45 (Ko. II 156) ut rei familiaris dissipatorem notat, eundem esse atque Sphettium.[74]) Sed totidem argumenta ei licet afferre, qui contrariam sequitur sententiam: primum orator Sphettius certe notissimus erat huius nominis vir illo quidem tempore; id eo demonstratur, quod in eorum fuit numero virorum, quos a. 335 Alexander ad supplicium expoposcit. Porro huic Polyeucto, quo dicitur fuisse habitu corporis formaque, mirum potius esset, si comici prorsus pepercissent; conferas enim Plut. Phoc. c. 9 Πολύευκτον δὲ τὸν Σφήττιον ὁρῶν (ὁ Φωκίων) ἐν καύματι συμβουλεύοντα τοῖς Ἀθηναίοις πολεμεῖν πρὸς Φίλιππον, εἶτα ὑπ' ἄσθματος πολλοῦ καὶ ἱδρῶτος, ἅτε δὴ καὶ ὑπέρπαχυν ὄντα, πολλάκις ἐπιρροφοῦντα τοῦ ὕδατος, „Ἄξιον, ἔφη, τούτῳ πιστεύσαντας ὑμᾶς ψηφίσασθαι τὸν πόλεμον, ὃν τί οἴεσθε ποιήσειν ἐν τῷ θώρακι καὶ τῇ ἀσπίδι τῶν πολεμίων ἐγγὺς ὄντων, ὅτε λέγων πρὸς ὑμᾶς ἃ ἔσκεπται κινδυνεύει πνιγῆναι;“ Denique fr. 5 Heniochi, versus pro quarto saeculo maxime memorabiles e prologo alicuius comoediae desumpti, cuius nomen fortasse erat Πόλεις (Mein.), ostendunt Heniochum alioquin ad poemata materiam e suae aetatis rebus gestis petivisse. Dicit enim, illum prologum quicunque pronuntiat, extemplo nomina se enumeraturum earum, quae convenerint, urbium. Scaenam esse Olympiae. Quid autem urbes ibi faciant? Olim eas venisse a vectigalibus liberatas, ut dis animis gratis immolarent; sed ex illo tempore stultitia quadam periisse, siquidem a duabus turbarentur mulieribus, Democratia et Aristocratia. Cur autem nunc convenerint, id quod maxime cupimus scire, omisit excerptor fatuus. Atque Kockius hanc protulit coniecturam: „mihi quidem nulla aptior occasio, qua rursus Olympiam convenire de-

---

[73]) Kirchn. s. n. 11947.

[74]) Velut Boehneckius Forschungen auf dem Gebiete der att. Redner p. 643 adn. 4 negavit oratori quicquam commune esse nec cum fragmento Anaxandrideo nec cum Heniocheo titulo.

buerint, videtur excogitari posse, quam belli Chremonidei finis, quo composito (Ol. 128, 3 = 266) κοινὴ ὁμόνοια τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο. . . . quamquam si haec coniectura vera est, poetae vitam Menandri aetatem superasse necesse est“ (II 434; cf. 386). Sed sine aliis testimoniis non ausim tantum Heniochi aetatem extendere, quamvis non ignorem Philemonem mediae comoediae tempora attingentem[75]) vitam usque ad bellum Chremonideum produxisse,[76]) atque Alexidem et mediae et novae temporibus docuisse. Sed talia non sunt temere augenda. Heniochum mediae comoediae poetam fuisse et Suidas s. n. testatur et fragmentorum indole satis demonstratur, cf. inprimis fr. 1 et 3 Ko. Quamobrem conicio urbes fortasse in comoedia Heniochea ideo Olympiam convenisse, festos dies ut celebrarent Graecia per Philippum liberata atque quasi consociata; reminiscaris velim concilii illius auctore Macedone et gubernatore Corinthi habiti illorumque decretorum, quae de pace atque libertate omnium ibi fiebant (cf. Schaefer Dem. III² 51 sqq.; Beloch Griech. Gesch. II 572 sqq.). Quae coniectura ei subsidio est, qui Polyeuctum titulum ad oratorem Macedonum inimicum vult referre, ita ut Heniochus ab Isocratis partibus stetisse putetur Macedonum amico. Et Urbibus illa, quae inscripta fuisse videtur, fabula studuitne ad bellum Persarum Atheniensium animos inflammare poeta?

Anaxandridis Νηρεύς.

Anaxandridis comoediae Νηρεύς appellatae (Mein. h. cr. 372; Ko. II 145) hos servavit versus Athen. VII 295 e

ὁ πρῶτος εὑρὼν πολυτελὲς τμητὸν μέγα
γλαύκου πρόσωπον τοῦ τ' ἀμύμονος δέμας
θύννου τά τ' ἄλλα βρώματ' ἐξ ὑγρᾶς ἁλὸς
Νηρεὺς κατοικεῖ τόνδε πάντα τὸν τόπον,

unde homines docti conclusere coqui illis temporibus celebris

[75]) Cf. Wagner Diss. p. 28.
[76]) Cf. Dietze Diss. p. 4.

nomen fabulae esse inscriptum. Etenim commemoratur huius nominis vir in catalogo septem sapientium coquorum, quem praebet Euphro comicus fr. 1 (Ko. III 317; v. 6 Νηρεὺς δ'ὁ Χῖος γόγγρον ἧψε τοῖς θεοῖς). Quare errasse doctos nequeo dicere. Tamen non crediderim Nerei dei personam a comoedia Anaxandridea prorsus fuisse alienam; immo in unam personam, ni fallor, poeta quasi conflavit deum suaeque aetatis coquum: hunc non potuit dicere omnia invenisse, quae ex mari petuntur, cibaria, potuit maris deum. Contigit igitur Anaxandridi, ut una fabula et deorum amplitudinem in humanam detorqueret humilitatem, quod maxime illis temporibus spectatoribus placebat, et aequalem suum irrideret non nimis, ut opinor, crudeliter. Qua in re A n a x i l a m (eius titulum Νηρεύς v. apud Mein. h. cr. 372; Ko. II 271) num auctorem habuerit vel imitatorem, nescio.

Apud Alexidem autem in fabula Κράτεια ἢ Φαρμακοπώλης (fr. 110, Ko. II 335) eundem coquum dici non credo, praesertim cum anno 306 demum haec fabula in scaenam demissa esse videatur (cf. quae infra de hoc titulo annotabimus): commemoratur „Nereus aliquis senex“, id est piscator vetustus.[77]) Nec magis necessarium in Euphronis versu (fr. 8, 2, Ko. III 321 λοπάδα Νηρείων τέκνων) illum coquum intellegere: pisces liberi Nerei, maris dei, quod vocantur, non mirum est.

Epinici Μνησιπτόλεμος.

Magnum temporis intervallum superandum est ab illa comoedia Anaxandridis transeuntibus ad ultimam huius quidem classis fabulam, Mnesiptolemum Epinici (Mein h. cr. 440; Ko. III 330), de qua haec Athen. X 432 b: ἔπινον [οἱ] πολλοὶ καὶ ἄλφιτα ἐπιβάλλοντες τῷ οἴνῳ . . . 'Επίνικος γοῦν, Μνησιπτολέμου ἀνάγνωσιν ποιησαμένου τῶν ἱστοριῶν ἐν αἷς ἐγέγραπτο ὡς Σέλευκος

---

77) *πρῶτον μὲν <οὖν> ὄστρεια παρὰ Νηρεῖ τινι*
ἰδὼν γέροντι φῦκος ἠμφιεσμένα
ἔλαβον κτλ.
Meinekius scribendum censuit *τινα*.

ἐπηλφίτωσε, γράψας δρᾶμα Μνησιπτόλεμον, καὶ κωμῳδῶν αὐτὸν καὶ περὶ τῆς πόσεως ταῖς ἐκείνου χρώμενος φωναῖς ἐποίησε λέγοντα κτλ.: sequitur fr. 1 Ko. Nulli igitur dubitationi obnoxia est tituli explicatio nec minus certum historicum illum derisum in ipsa comoedia egisse partes. Tempus ex alio Athenaei loco colligitur (XIV 697 d): Μνησιπτολέμου φησί (Δημήτριος ὁ Σκήψιος) ποτε τοῦ ἱστοριογράφου τοῦ παρὰ Ἀντιόχῳ τῷ προσαγορευθέντι Μεγάλῳ πλεῖστον ἰσχύσαντος υἱὸν γενέσθαι Σέλευκον τὸν τῶν ἱλαρῶν ᾀσμάτων ποιητήν. Ergo usque ad finem tertii vel initium secundi a. Chr. n. saeculi poetam eiusque fabulam descendere iubeamus necesse est (regnavit magnus Antiochus a. 223—187). Atque istius temporis talis comoedia sane digna est memoratu. Doctam eam esse non Athenis, sed Antiochiae consentaneum est, — in scaena si modo agebatur, quod mihi quidem non extra dubitationem videtur esse positum. Nonne tantum ut legeretur potuit scribi?

De Mnesiptolemo nisi hoc nil scimus, cf. Susemihl Litt.-Gesch. d. Alex.-zt I 635.[78])

Pertractatis iis titulis, qui a quibus repetendi sint viris aut traditum est aut admodum probabili ratiocinatione potest statui, ad secundam accedo titulorum classem, eorum dico, quos quamquam mihi quidem persuasi ad certos quosdam spectare homines, tamen meris coniecturis, nonnumquam minus exploratis, iis licet assignare.

Strattidis Ζώπυρος περικαιόμενος.

Praecedat Strattidis Ζώπυρος περικαιόμενος (Mein. h. cr. 225 sq.; Ko. I 714), cuius fabulae titulum a Suida in Strat-

———

[78]) In fragmento catalogi victorum Epinici nomen legitur I G II 977 n = Wilh. Urk. p. 166, ab hoc viro docto incertis frustulis annumerato. Qui l. l. haec annotat: „Der Schrift und der Stelle nach, die der Name in der Liste einnimmt, kann *Ἐπίνικος* allenfalls der komische Dichter sein, der aus der Zeit Antiochos III. bekannt ist.“ Sed fragmentum etiam tituli I G II 977 d' = Wilh. Urk. p. 140/1 potest esse (ut voluit Doerpfeldius) ita ut illi (*Ἔχετος ΙΙΙ* [*Ἐ*]*πίνικος ΙΙΙ*) actores tragici fiant.

tidis comoediarum catalogo omissum Hesychius servavit s. οὐ μάλα κικκάς fragmentum apponens misere corruptum (10 Ko.). Nomen erat et apud ceteros Graecos[79]) et apud Athenienses[80]) saepe usitatum. Atque Meinekius l. l. fabulam denominatam esse putat aut ab Alcibiadis paedagogo, servo Thracio hoc nomine ornato,[81]) aut ab illo Zopyro, cuius nomen Phaedo dialogo inscripsit:[82]) alteri illi coniecturae videtur favere, quod Lucianus et Alciphron adulescentium paedagogos sic appellarunt;[83]) verisimile est per comoediam hunc nominis usum ad eos pervenisse. Atque cum tali comoedia comparandae sint fabulae illae Κόννος inscriptae (v. supra p. 13 sqq.), quibus et ipsis praeclarissimi viri etsi non paedagogus, at magister nomen dedit.[84]) Quamquam pro certo hoc affirmari non posse scio; hoc certum videtur, quod neminem commemorasse video, participium περικαιόμενος Zopyri nomini adiectum quodammodo cohaerere cum huius significatione;[85]) tamen si quis hac re nisus omnino non proprium nomen intellegendum esse putaverit, sed prunam nescio quo pacto cum dramatis actione coniunctam, equidem non assentiar.

Anaxandridis Σώσιππος.

Incertam scio me periclitari coniecturam, cum Anaxandridis fabulam Sosippus inscriptam (Mein. h. cr. 373; Ko. II

---

79) Cf. Pape-Benseler Lex. d. gr. Eigenn. s. n.

80) Viginti apud Kirchn. I 407 sq. II 462, quorum tamen fere omnes aetatis posterioris, saec. III. II. I, praeter nr. 6257. (6271). — Saepissime imperatorum Romanorum temporibus nomine utebantur Athenienses, v. I G III ind.

81) Plat. Alcib. I p. 122a *σοὶ δ' ὦ 'Αλκιβιάδη Περικλῆς ἐπέστησε παιδαγωγὸν τῶν οἰκετῶν τὸν ἀχρειότατον ὑπὸ γήρως, Ζώπυρον τὸν Θρᾷκα.* Cf. Plut. Alcib. 1; Clem. Alex. Paed. I 7 (p. 130 P. = I 122 Staehlin).

82) Bekk. Anecd. 107, 3; Theon Progymn. I 177 Walz. Mein. l. l.

83) Luc. Conv. 26; Alciphr. III 21,1 (Schepers); cf. Sondag Diss. p. 61 sq.

84) Fortasse fabula ipso Zopyro iam mortuo re vera in Alcibiadem scribebatur.

85) Spinthari tragici *'Ηρακλέα περικαιόμενον* (Suid.) confert Mein. l. l.

155) nomen accepisse dico ab eo huius nominis viro, qui a. 388/7 [86]) Olympiae cursu vicisse traditur, [87]) praesertim quem Atheniensem fuisse ne certum quidem sit.[88]) Sed cum e comoedia nihil supersit nisi una vocula πτόλις (Schol. Hom. Il. 23, 1 = fr. 44 Ko.), qui de titulo certius potest iudicari? Sosippi nominis comicis posterioris aetatis inusitati illo σταδιοδρόμῳ excepto duodecim exempla praebet Kirchn. II 292. 482 sq. — De Sosippo poeta comico a Meinekio l. l. ad Anaxandridis titulum commemorato prorsus nihil habemus compertum nisi Athen. IV 133 f Δίφιλος ἢ Σώσιππος ἐν Ἀπολιπούσῃ (Ko. II 546), ex quo loco si licet concludere aequalem eum fuisse Diphili, certe multo minor fuit natu Anaxandride.

Nicostrati vel Philetaeri Ἄντυλλος.

Saepius laudatur Nicostrati vel Philetaeri Ἄντυλλος (Mein. h. cr. 347 sq.; Ko. II 220 sq.), quem titulum, quia nomen nec Graecis nec Latinis poetis comicis postea adhibebatur, huic classi attribuendum censui. Est Ἄντυλλος forma deminutiva, quae vocatur, a pleno nomine Ἀντικλῆς ducta, [89]) quo nomine Athenienses non ita raro usos esse argumento sunt, quae Kirchn. I 76 sq. II 444 affert, viginti septem exempla. Sed a quonam homine fabula indicem acceperit, non magis constat quam in comoediis modo tractatis. Cum lite illa famosissima, quam Timarcho intulit Aeschines, comicorum poetarum oculos et ad reum et ad ceteros homines hac causa implicatos conversos esse per se sit verisimile et certis argumentis comprobetur, [90]) cogitaverit fortasse quispiam de Anticle

---

[86]) Anaxandrides anno 377/6 primam suam in certamine comico victoriam peperit: Marm. Par. I G XII 5 p. 108, quocum congruit Suidas s. n.: *γεγονὼς . . Ὀλυμπιάδι ἑκατοστῇ πρώτῃ* (= 376—73). De superiorum annorum fabulis Anaxandrideis cf. infra sub tit. *Ἄντεια.*

[87]) Diod. XIV 107; African. ap. Euseb. I 206 Schoene. Cf. Kirchn. s. n. 13 271.

[88]) African. l. l. Sôsippus Delphicus — *Σώσιππος Δελφός.*

[89]) Cf. Mein. l. l.; Fick-Bechtel p. 27 sq.

[90]) Cf. quae supra (p. 33 sqq.) de Timoclis Orestautoclide exposuimus.

illo Καλλίου Εὐωνυμεῖ (Kirchn. n. 1065), quem consuetudine Timarchi usum esse Aesch. I 53 dicit: sed hic iam ex anno 361/0 Athenis aberat. Equidem quamquam non ignoro, quam fallaces tales in talibus quaestionibus coniecturae esse soleant, tamen commemorandum puto inscriptum fortasse esse huic quoque fabellae nomen Olympiae victoris, Anticlis illius, qui a. 340 cursu palmam tulit;[91]) eundem (Ἀντικλέα τὸν σταδιοδρόμον) iam quinque annis ante Aeschines in eadem oratione Timarchea enumerat „ἐκ τῶν μειρακίων καὶ τῶν ἐν παισὶν ἔτι καὶ νῦν ὄντων", quorum, quamquam et ipsi multos habebant amatores, „οὐδεὶς πώποτ' εἰς τὰς αὐτὰς αἰτίας ἀφῖκται Τιμάρχῳ" (§ 157). Cui adulescentulo, ob pulchritudinem, opinor, atque artem illam cursandi omnibus per totam urbem noto, non male conveniat deminutiva nominis forma in titulo adhibita. Neque exemplum sat celebre filio Aristophanis eiusmodi comoediam componenti defuisse nemo non videt Autolyci Eupolideae supra (p. 15 sqq.) memoratae memor. Eidem fere decennio, quo Timarcheam Aeschines habuit, fabula, si recte de ea disputatum est, ascribenda, vel ei, qui victoriam Olympiacam proximus secutus est, anno; quod fortasse probabilius.

Callicratis Μοσχίων.

Transeamus ad Callicratis comoediam, quam Μοσχίων inscripsit poeta (Mein. h. cr. 418; Ko. II 416); quamquam enim hoc nomen a posterioris aetatis poetis comicis saepius imponebatur personis fictis,[92]) indeque ad epistolographos perve-

---

[91]) Diod. XVI 77; Pap. Oxyrh. I (1898) p. 27. Soltau Philol. LVIII (1899) 560; Kirchn. s. n. 1057.

[92]) Cf. Men. fr. 494 (Ko. III 142); *Περικειρ.; Σαμ.*; fr. P recto v. 3 Lefebvre (cf. Leo Herm. 1908, 165); Strat. fr. 1,13 (III 362); novum comoediae fragmentum in papyro nuper repertum Bull. de corr. hell. XXX (1906) 103 sqq. (nr. I col. 2 v. 5); com. frgm. Berl. Klassikertexte V 2, 115 sqq. v. 54. 81. Praeterea comparari potest Moschus pater Menaechmorum (v. 407. 1078. 1098. 1108) et Moschis meretrix apud Afranium v. 136 p. 182 Ribb.² Cf. Fick-Bechtel p. 212. 317. 322; Schmidt l. l. p. 197.

nit,[93]) tamen hanc Callicratis fabulam a certo viro poetae aequali denominatam esse Meinekium secutus putaverim. Commemoratur enim ab Alexide in Trophonio parasitus quidam Moschion ἐν βροτοῖς αὐδώμενος (fr. 236, Ko. II 383), neque alius videtur esse Μοσχίων φίλαυλος ab Axionico in Phileuripide illusus (fr. 4, Ko. II 413), ne ille quidem γλαῦκον ἐν ἅλμῃ θερμῇ ἑφθόν aspernatus.[94]) Quem hominem gulosum nomen suum dramati Callicrateo dedisse non improbabile mihi videtur. Sed utrum idem sit ille atque poeta tragicus Moschion,[95]) qui et ipse medio saec. IV floruit,[96]) necne, equidem nescio.

Cum in Moschione poeta Sinopae meretricis mentionem habuerit — hoc unum ex illa fabula ad nos pervenit — multo post a. fere 340 eam scriptam esse non credo (cf. supra p. 35 sq.).

Sophili Ἀνδροκλῆς.

Sophili titulum Ἀνδροκλῆς (Mein. h. cr. 425: Ko. II 444) quod hic possumus ponere, novis Menandri fragmentis debemus nuper a viro d. Lefebvre in lucem editis. In versu enim 261 sqq. fragmentorum, quae Samiae fabulae attribuuntur, Androcles quidam parasitus illuditur

Ἀνδροκλῆς ἔτη τοσαῦτα ζῇ, τρέχει παῖδα⟨ς⟩ πολὺ
πράττεται, μέλας περιπατεῖ λευκὸς[97]), οὐκ ἂν ἀποθάνοι
οὐδ' ἂν εἰ σφάττοι τις αὐτόν. οὗτός ἐστιν οὐ θεός; [98])

---

[93]) Cf. Sondag Diss. p. 14.

[94]) Cf. Ribbeck Kolax p. 81 cum adn. 5.

[95]) De hoc Christ Griech. Litt.-gesch.³ p. 280 „ein oft aufgezogener Gourmand". — Cohibet iudicium Welcker Griech. Trag. p. 1048.

[96]) Cf. Ribbeck Rh. Mus. XXX (1875) 145 sqq.; commentatione O. Ravennae di Moschione e di Teodette. Poeti tragici (Padava 1903) uti mihi non licuit.

[97]) Cf. Alex. fr. 116,3 (Ko. II 338); Sosicr. fr. 1,1 (III 391).

[98]) Sic versus restitutus legitur a Croenerto in Lit. Zentralblatt 1907, nr. 48 et a Fr. Leo Goett. Nachr. 1907, 336. Reliqua nondum sana videntur. — Similiter de Tithymallo parasito iocatur Alexis fr. 159 (Ko. II 355): *ὁ δὲ σὸς πένης ἔστ' ὦ γλυκεῖα· τοῦτο δὲ | δέδοιχ' ὁ θάνατος τὸ γένος, ὥς φασιν, μόνον. | ὁ γοῦν Τιθύμαλλος ἀθάνατος περιέρχεται.*

Ab hoc viro Sophili comoediam accepisse nomen haud absurdum videtur coniectare (sic etiam Leo l. l.). Quam coniecturam quivis nunc praeferat Meineki opinationi, qui Sophilum nomine Androclis illius demagogi saec. V hominem quem repraesentaret eius similem ornasse suspicabatur.

Alexidis Δρωπίδης.

His fabulis etiam annumerandam puto Dropiden Alexidis (Mein. h. cr. 399; Ko. II 317 sq.): nomen enim non frequens erat Atheniensibus (sex exempla apud Kirchn. I 305 sq.) neque usitatum comicis. Sed aliam atque Kockius l. l. coniecturam proponere non possum, qui illum Dropidem Atheniensem intellexit, „qui Curtio auctore (3, 13, 15) a civibus cum Iphicrate et Aristogitone legatus ad Persarum regem missus et ab Alexandro m. aliquamdiu in custodia retentus est. Arrian. 3, 24, 4.“ [99]) Exscribo partim Curtii l. l.: Aristogiton Dropides Iphicrates inter Athenienses genere famaque l o n g e c l a r i s s i m i.

Stratonis Φοινικίδης.

Nec de Phoenicide Stratonis (Mein. h. cr. 427 sq. 235; Ko. III 361 sqq.) omnia explorata sunt. Quod enim apud Suidam mediae comoediae accensetur Strato, non videbatur congruere cum versu 43 fragmenti ab Athenaeo servati (IX 382 b): senex queritur se coquum, quem conduxerit, intellegere non posse, quia perpetuo Ὁμηρικαῖς λέξεσιν utatur, itaque semper Philetae libros sibi esse evolvendos (v. 43 ὥστε με | τῶν τοῦ Φιλητᾶ λαμβάνοντα βιβλίων | σκοπεῖν ἕκαστα τί δύναται τῶν ῥημάτων). Cum nobis traditum esset Philetam elegiacum poetam celeberrimum γλώσσας vel ἀτάκτους γλώσσας ad Homerum illustrandum composuisse (cf. Susemihl Al. Litt.-Gesch. I 178), eum in versu illo dictum esse iam Meinekius cogno-

---

[99]) Cf. Schaefer Dem. III² 119,1; Kirchn. P. A. s. n. 4575 et apud PW V 1720 sq.

vit, itaque potius novae comoediae poetam Stratonem fuisse censuit; quem nuper secutus est Cappsius Am. Journ. of Arch. IV (1900) 77 sq. Sed merito repugnavit Wagnerus Diss. p. 34 adn. 7 e bona doctrina quae Suidas de Stratone annotat fluxisse contendens: monuit recte de Phileta apud illum tradi „ὢν ἐπί τε Φιλίππου καὶ Ἀλεξάνδρου“; etenim, quamquam Philetam anno fere 340 natum esse volunt (cf. Susemihl l. l. 176; Ritschl Opusc. I 66), nil video, quo prohibeamur viginti fere annis maiorem eum fingere; tamen usque ad annum 285 potest in vita fuisse. Lexicon igitur Homericum si anno 335 vel 330 editum est, pótuit profecto a poeta commemorari, qui mediae comoediae attribuitur.

Sed alia est difficultas in eo, quod ne titulus quidem constat. Athenaeus enim l. l. nomine Φοινικίδης fabulam laudat, Suidas autem s. Στρ.: τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἦν Φοῖνιξ, ubi idem drama memorari quivis concedet. Respuebant autem omnes breviorem tituli formam a Suida prolatam, utpote e longiore decurtatam, praeter eundem Wagnerum l. l., qui Φοῖνιξ veram inscriptionem fuisse autumat errorem Athenaei cohaerere opinatus cum Phoenicidis comici nomine saepius ab Athenaeo citato. Sed ut optimae doctrinae debeatur glossa Suidae s. v. Στράτων, id quod libenter concedo, tamen titulus ipse fieri potuit, ut mutilaretur compendio fortasse male intellecto. Phoenicidis poetae nomen, quippe quod ne in eodem quidem libro legatur, vix crediderim Athenao causam fuisse errandi. — Sed Strato si mediae comoediae poeta erat, non Phoenicidis novae scriptoris nomen suae fabulae potuit imponere.[100]) At iam Kockius de illo Phoenicide cogitavit ὀψοφάγῳ, quem

[100]) Floruit Phoenicides initio tertii saeculi, cf. Capps l. l.; Wilh. Urk. p. 51 sqq. (I G II 972). 118. — Capps l. l. quod dicit: „It was not an uncommon occurrence for one comic poet to take the name of another as a title“, mihi quidem certa exempla desunt. Qui enim possunt afferri tituli *Φιλωνίδης Πλάτων Διονύσιος Φίλιππος Σώσιππος Φιλέταιρος Φιλίσκος Δημήτριος Ἡνίοχος*, ad unum omnes aliter interpretandos esse censuimus vel censebimus.

Antiphanes (fr. 48, Ko. II 30; 190, II 89) illudebat et Euphro (fr. 8, III 321).[101] Quae coniectura ut nullo alio argumento potest fulciri, ita nullo refelli, quare merito stabit, donec falsa esse demonstrabitur.[102]

His septem comoediis allatis alios adicio septem titulos e propriis nominibus deductos, quos quamquam eisdem de causis, quas saepius adhibui, a viris certis repetendos opinor, tamen ne coniectura quidem, qui illi fuerint, possum consequi. Quare de eis paucis tantum disseram.

Aristophontis Καλλωνίδης.

Atque ordior ab Aristophontis Callonide (Mein. h. cr. 410; Ko. II 277), de qua quid statuendum sit, plane nescio. Unus huius nominis vir apud Kirchn. invenitur (I 546. IG I 433 mon. sep. a. 459/8; cf. Fick-Bechtel p. 158; IG I 483). Tamen Meinekio assentiri non ausim, qui l. l. „nisi legendum Φιλωνίδης“; eodem iure pro Philonide aliquis Callonides restituendum autumet: nam etiam Philonides Aristophontis semel laudatur (cf. supra p. 29).[103] Equidem nisi nova fragmenta forte reperta aliud commendabunt, diversas comoedias ponere satius duco Kaibelium secutus, qui in editione Athenaei neque in textu neque in indice quicquam mutavit.

Antiphanis Κλεοφάνης.

Nec quicquam constat de Cleophane Antiphanis (Mein. h. cr. 326; Ko. II 58 sq.), cuius dramatis unum fragmentum servavit Athen. III 98 f (= fr. 122 Ko.). Nomen apud Athenienses rarum (quattuor apud Kirchn. I 576).

---

[101]) De Euphronis aetate cf. infra adn. 182.

[102]) Dietze Diss. p. 9 adn. et p. 38 c. adn. Batoni, Philemonis aemulo, assignare vult Phoenicidem propterea, quod Phoenicidis fragmenti versus primi etiam Philemonis fuisse feruntur ab Athenaeo XIV 659 b (= fr. 123, Ko. II 517); itaque etiam Philemonem fabulam Phoenicidem nomine scripsisse Dietzius coniecit ab illo ὀψοφάγῳ denominatam. Quae omnia valde incerta sunt.

[103]) Idem supra de Cinesia et Pausania titulis dicendum erat p. 26.

Antiphanis Λεωνίδης.

Idem dicendum de eiusdem poetae Leonide (Mein. h. cr. 327; Ko. II 70, unum fr. apud Athen. = fr. 143 Ko.). Nomen [104]) servile esse ut in Plauti Asinaria non crediderim (cf. Schmidt l. l. p. 193). Leonides quidam inter paedagogos Alexandri magni eminuit. [105])

Amphidis Ἀμφικράτης.

Subsequatur Amphicrates Amphidis (Mein. h. cr. 405; Ko. II 237), cuius nominis neque Atheniensem [106]) neque alium Graecum, a quo fabula indicem posset accepisse, ut investigarem, mihi contigit. Ex uno illo fragmento a Diogene Laertio III 27 (= fr. 6 Ko.) servato, in quo τὸ Πλάτωνος ἀγαθόν se non intellegere dicit nescio qui servolus, nihil de tempore, quo docta sit fabula, concludere licet: conferas enim idem Platonis bonum a Philippide, novae comoediae poeta, commemoratum fr. 6 (Ko. III 303).

Amphidis Δεξιδημίδης.

Plato memoratur etiam in Dexidemide [107]) eiusdem poetae (Mein. h. cr. 405 sq.; Ko. II 239), quem titulum dubitanter hic posui, quia ut nullum aliud exemplum nominis novi, [108]) ita nullam inventionis causam video. -- Conferas nomina Archidemides Plaut. Bacch. 250. 257. 284/5 (ubi iocose a demere ducit nomen poeta Latinus) et Ter. Eun. 327; Callidemides

---

[104]) 15 *Λεωνίδαι* apud Kirchn. II 15 sq., plerique temporum posteriorum.

[105]) Plut. Alex. 5. 22; Reg. apophthegm. s. Alex. 4 = Mor. 179 e; Clem. Alexandr. Paed. I 7 (p. 130 P = I 122 Staehlin).

[106]) Septem apud Kirchn. I 57 sq.

[107]) Laudatur ab uno Diogene Laert. III 28, ubi codd. Borb. et Vat. praebent *δεξιδημίδη*, Paris. et Florent. *δεξιμίδη*. Etiam *Δεξιμήδης* explicari potest, cf. Fick-Bechtel p. 206.

[108]) De nominibus e *Δεξ-(δέχομαι)* derivatis cf. Fick-Bechtel p. 91 sq.

Plaut. Trin. 916/22; Ter. Hec. 432. 801, Καλλιδημίδης Luc. dial. mort. VII. — E fragmento illo

ὦ Πλάτων,
ὡς οὐδὲν ᾔσθα[109]) πλὴν σκυθρωπάζειν μόνον (= fr. 13 Ko.)

post philosophi mortem, i. e. post annum 348/7 fabulam doctam esse cognoscitur.

Alexidis Ὀλυμπιόδωρος.

Addo Alexidis Olympiodorum (Mein. h. cr. 381; Ko. II 355), quod nomen cum persaepe pueris Athenienses indiderint — triginta quattuor Olympiodori apud Kirchn. II 167 sqq. 478 — ad quem ista comoedia referenda sit, plane ignorare me confiteor. Audacius est quam certius, quod legimus in Paulyi Encyclopaedia s. n. Olymp. „Ein Stück dieses Namens zu Verspottung des Plato hatte schon Alexis geschrieben“, quod temere conclusum est e solo illo comoediae fragmento a Diogene Laert. III 28 (= fr. 158 Ko.) allato, ubi σχολὴ Πλάτωνος memoratur. Hoc unum ex his versibus effici posse puto scriptam esse fabulam eo tempore, quo Platonis de anima placita nova fuerunt atque inaudita, i. e., si quid video, ipso philosopho vivo. Qua re impedior, quominus ad illum Olympiodorum, qui solus inter cives excelluisse videtur, praetorem dico post Alexandri mortem insignem, titulum revocem (cf. de eo Kirchn. s. nr. 11388).

Diphili Τελεσίας.

Adiciam denique Telesiam Diphili (Mein. h. cr. 457; Ko. II 567), de qua hoc annotat Athen. VI 258 e: κεχαρακτήρικε δέ, ὡς ἔνι μάλιστα ἐπιμελῶς, τὸν κόλακα Μένανδρος ἐν τῷ ὁμωνύμῳ δράματι, ὡς καὶ τὸν παράσιτον Δίφιλος ἐν Τελεσίᾳ, unde Mein. l. l. „Τελεσίας a parasito, cui Telesiae nomen, appellata videtur“ (cf. id. ib. p. 438) neque aliter Ribbeck Kolax p. 26 sq. Cui sententiae quid obiciam, ne ego quidem

---

109) Sic legitur in codd. B P V Diog., A V E Suid.; cf. Herodian. II 519 L.

habeo; quominus enim suo arbitrio poetam finxisse nomen tibi persuadeas, id repugnat, quod nihil est nomini Τελεσίας [110]) cum parasiti incredibili quadam edendi arte atque facultate. [111]) Comoediae parasiti vocantur Γάστρων [112]) Στρουθίας [113]) Γνάθων [114]) Γναθωνίδης [115]) sim. [116]) Tale vel simile quid poetam usurpaturum fuisse opinor, nomen si finxisset; etenim Diphilum ab eiusmodi nominibus non abhoruisse eius titulo Αἱρησιτείχης comprobatur.

Sed, ut initio disputationis dictum est, nequaquam omnes, qui huc pertinent, tituli ita, ut nihil sit residui, in duas classes possunt discerni; immo non pauci exstant, qui a viris certis poetae aequalibus ducti sint an a fictis personis ambigitur. Eos unum in locum collectos nunc allaturus sum.

Theopompi et Ophelionis Κάλλαισχρος.

Initium capio a Callaeschro, cuius tituli fabulae laudantur et Theopompi et Ophelionis (Mein. h. cr. 240. 415; Ko. I 738 sq. II 294). Primum accidit, ut diversorum poetarum comoediae cognomines nobis occurrant (cf. supra p. 12). Sed quonam pacto ista dramata inter se cohaereant, diiudicare nequeo. Ophelionem, poetam obscurum, quippe qui Platonis, vivi ni fallor, libri mentionem habeat (fr. 3 Ko.) idque in ipsa fabula Callaeschro, [117]) potuisse sane eodem fere, quo Theopompus comicus (qui et ipse summi philosophi doctrinam

---

[110]) Novem Telesias exhibet Kirchn. II 304. 484.

[111]) De nominibus e radice *Τελεσ(ι)-* deductis cf. Fick-Bechtel p. 263 sq.

[112]) Cf. Antiphan. com. *Κνοιθιδεὺς ἢ Γάστρων* Ko. II 60, quae infra commemorabitur.

[113]) Men. in Adulatore fr. 293 (Ko. III 83). Cf. adesp. fr. 592 (III 515). Alciphr. I 9, Sondag Diss. p. 31.

[114]) Ter. Eun. (idem est atque Struthias Menandreus [adn. 113]). — Alciphr. II 32; III 8 (Schep.). Sondag Diss. p. 28 sq.

[115]) Luc. Fugit. 19; Tim. 45.

[116]) Cf. Alex. fr. 97. 168 (Ko. II 328. 359).

[117]) Hoc Wagner vidit Diss. p. 44 adn. 1.

traducit fr. 15, Ko. I 737), tempore in certum hominem nomine Callaeschrum satiricam comoediam scribere concedendum est; sed cum neque ullus, qui significetur, eius certe temporis homo possit indagari [118]), quem per duas totas comoedias agitatum nobis prorsus ignotum esse vix crediderim, et titulum aliter interpretari liceat, velut hominem „specie pulchrum, mente turpem“ (Ko.) significantem, [119]) hoc fortasse praeferendum est. — Ophelio num Theopompi drama aliquo modo commutatum atque renovatum in suum usum converterit, nescio.

Antiphanis et Alexidis Μίδων.

Duos porro comoediarum indices, quarum utriusque bini auctores laudantur, proferam: Midonem dico Antiphanis Alexidisque eorundemque Philiscum. Ut ab illa incipiam (Mein. h. cr. (327.) 401; Ko. II 75. 351), apud Kirchn. unum huius nominis exemplum invenitur idque suppletum; [120]) deinde eis, quae Mein. l. l. laudat, exemplis exceptis Midonem novi patrem vel magistrum Lamproclis poetae dithyrambici (schol. Arist. Nub. 967). De hoc titulo autem quid iudicem, prorsus nescio neque possum decernere, num quid commune ei sit cum spurio illo Platonis dialogo Μίδων ἢ ἱπποτρόφος, quem a Diogene Laert. III 62 citatum Mein. affert l. l.

Ne quid omittam, commemoro ab illius, quod unum fabulae Alexideae servatum est, fragmenti versibus (148 Ko.) fabulam initium cepisse opinatum esse Frantzium De Comoediae Atticae Prologis (Diss. Argent. 1891) p. 36; sed pari iure novum actum sic coepisse poetam dicas.

---

[118]) Callaeschrus ille pater Critiae (Kirchn. s. nr. 7758), unus e quadringentis viris a. 411, prioris aetatis est, cf. Mein. h. cr. 240. — Quattuordecim alios Callaeschros Athenienses v. apud Kirchn. I 516. An de Callaeschro, qui in divitissimorum Atheniensium numero habebatur (Dem. XXI 157), cogitandum? — — Nomen etiam A P VII 273. 395. 483.

[119]) Cf. Theopompi Ἡδυχάρης (Ko. I 736), quo nomine Platonem significare voluisse poetam Meineki (h. cr. 240. 289) est coniectura nullo argumento firmata.

[120]) S. nr. 10 165 = I G II 1430 [Μί]δων Ἀπολλ[ο]δώρου Φρεά[ρριος].

Antiphanis et Alexidis Φιλίσκος

De Antiphanis et Alexidis fabulis Philiscus inscriptis (Mein. h. cr. 327. 403; Ko. II 105. 389) primum reiciendam puto Kockii coniecturam haec l. l. dicentis: „Fortasse Philiscus ille Abydenus, qui ab Ariobarzane cum grandi pecunia in Graeciam missus (Xen. Hell. 7, 1, 27. Diodor. 15, 70) tanta apud Athenienses floruit gratia, ut et civitatem ei donarent et statuam aeneam ponerent, sed post nequissima facinora Lampsaci interfectus est. Demosth. 23, 141. 2. 3. 202. quae coniectura si vera est, adparet fabulam scriptam esse circiter Ol. 103“ (= 368—5).[121]) Sed si qua ratio intercessit inter has Antiphanis Alexidisque fabulas cognomines, id quod equidem sane affirmaverim, Abydenum illum valere iubeamus necesse est, siquidem decennio fere post illam Olympiadem fabulas scribere coepit Alexis;[122]) neque credat quispiam Alexidem fabulam Antiphaneam ad virum illum illudendum compositam postea eo fortasse iam mortuo[123]) renovatam denuo in scaenam commisisse. Porro cum Philiscum civitate donasse videantur Athenienses nulla alia perducti causa, quam ut honores Ariobarzani habitos augerent (Dem. XXIII 141. 202), nequaquam verisimile duco Abydenum tantum apud eos valuisse, ut totae comoediae in eum scriberentur. Quare qui a certo viro titulum vult repetere, alium ei Philiscum circumspiciendum esse censeo.[124]) Atque fuit comicus aliquis poeta nomine Philiscus (cf. Mein. h. cr. 423 sq.; Ko. II 443 sq.) vel potius tragicus, ut pridem suspicatus erat Mein. l. l. nuperque affirmavit Wagner Diss. p. 54, fuit Philiscus philo-

---

[121]) Cf. Schaefer Dem. I² 97. 98; Kirchn. s. nr. 14430.

[122]) Cf. adn. 236.

[123]) Occisus est Philiscus ante a. 352, quo anno Demosthenes orationem Aristocrateam habuit (cf. Schaefer Dem. I² p. 439 sqq.), fortasse paulo post Ariobarzanis satrapae interitum a. 362 (Diod. XVII 7; cf. Judeich apud P W II 832).

[124]) Kirchn. II 363. 487 enumerat tredecim huius nominis Athenienses, omnes fere posteriorum temporum.

sophus Aegineta, discipulus Diogenis Cynici, Alexandri magister, de quo haec narrat Diog. Laert. VI 75: θαυμαστὴ δέ τις ἦν περὶ τὸν ἄνδρα (Διογένη) πειθώ, ὥστε πάνθ' ὁντινοῦν ῥᾳδίως αἱρεῖν τοῖς λόγοις. λέγεται γοῦν Ὀνησίκριτόν τινα Αἰγινήτην πέμψαι εἰς Ἀθήνας δυοῖν ὄντοιν υἱοῖν τὸν ἕτερον Ἀνδροσθένην, ὃν ἀκούσαντα τοῦ Διογένους αὐτόθι προσμεῖναι. τὸν δ' ἐπ' αὐτὸν καὶ τὸν ἕτερον ἀποστεῖλαι τὸν πρεσβύτερον Φιλίσκον τὸν προειρημένον, ὁμοίως δὲ καὶ τὸν Φιλίσκον κατασχεθῆναι. τὸ τρίτον αὐτὸν ἀφικόμενον μηδὲν ἧττον συνεῖναι τοῖς παισὶ φιλοσοφοῦντα. τοιαύτη τις προσῆν ἴυγξ Διογένους τοῖς λόγοις. Haec comoediam sane sapere videntur.

Attamen si quis eis comoediis, quae a personis fictis titulum acceperunt, Philiscum quoque accensere velit, equidem valde repugnare nequeo; postea enim quamquam non in comoediis, at certe apud Alciphronem usurpatur nomen (semel II 38 Schep.; cf. Sondag Diss. p. 25), et quoniam per Φιλ– formatum est, ne in comoedia quidem cuiquam offensioni esse potest.

Antiphanis Γόργυθος.

Transeamus ad Antiphanis comoediam, cui Γόργυθος inscriptum est (Mein. h. cr. 327; Ko. II 42); quem titulum alii aliter corrigendum putabant. Reinesius Γεργίθιος scribendum suspicatus est; hoc enim nomine, unius ex Alexandri magni adulatoribus, Clearcho Solensi commentationem illam de adulatoribus, e qua Athenaeus VI 255 c nonnulla deprompsit (= F H G II 310 sqq.), superscribere placuit; quod Antiphani restitui vel ipsa temporum ratio vetat. Dobraeus Γύργαθος tentabat coll. Arist. fr. 217 (Ko. I 446),[125]) Kockius Γοργύρα, i. e. δεσμωτήριον ὑπόγαιον (vet. lex.). Sed cum nomen Γόργυθος Atheniensibus non ignotum fuisse uno saltem lapide discamus,[126]) nihil

---

[125]) *εἰ μὴ δικῶν τε γυργάθους ψηφισμάτων τε θωμοὺς | φέροντες.* Pollux 10, 158; Athen. I 4 d. Cf. Hesych. *γύργαθον· σκεῦος πλεκτόν.*

[126]) I G II 998 [*Δα*]*μοκράτης Γοργύθου* [*Κυδ*]*αθηναιεύς*, catalog. a. 400—350 = Kirchn. nr. 3122. 3089. — Cf. I G II 791, 41 *Γοργ*[*υ*]*θίων Μυρρι*(*νούσιος*), trierarchus c. a. 377/6 = Kirchn. nr. 3088.

mutandum est. Utrum autem comoediae nomen inditum sit a Gorgytho aliquo Atheniensi, qui nobis ignotus Antiphani, per totam fabulam quem exagitaret, idoneus videbatur, an ab homine ficto, terribili, ut nomen docet,[127]) et truculento,[128]) discernere non ausim, quamquam hoc, quod secundo loco posui, paulo verisimilius mihi videtur.

In unico huius comoediae fragmento (76 Ko.) Callimedontis gulositas ridetur.

Antiphanis Εὐθύδικος.

Non aliter iudico de eiusdem poetae Euthydico (Mein. h. cr. 326; Ko. II 49 sq.), de qua fabula hoc dicit Mein. l. l.: „fortasse de eo Euthydico denominata est, quem commemorat Aeschines c. Timarch. § 40 οὗτος (sc. Τίμαρχος) ἐκάθητο ἐν Πειραιεῖ ἐπὶ τοῦ Εὐθυδίκου ἰατρείου. Cfr. ibid. § 50 et Suid. s. Τίμαρχος." Atque istum medicum non ignotum fuisse alia eiusdem temporis commemoratione demonstratur,[129]) et si Meinekii coniecturam accipies, — neque possum contradicere — habebis aliam comoediam cum Aeschinis oratione Timarchea quodam modo coniunctam (cf. supra p. 35. 44). Sed alii fuerunt Euthydici,[130]) velut δημοτικός ille apud Dinarch. I 33 memoratus,[131]) et si quis poetam dicat hominem iustum quendam atque sincerum, quem primas comoediae partes agere vellet, Euthydicum appellasse, ut ex ipso nomine eius mores cognoscerentur,[132]) equidem nihil habeam, quo eum refellam. Immo quod hoc nomine etsi non comici posteriores, attamen certe Alciphron usus est,[133]) huic opinioni videtur favere.

---

[127]) Cf. Fick-Bechtel p. 88. (27).

[128]) Cf. cognominem Plauti fabulam.

[129]) Apud Demosth. XL 33 (a. 347, Dion. Hal. Din. 11 (p. 656); 13 (p. 666). Schaefer Dem.[1] Beil. p. 223 sq.). — Cf. Kirchn. s. nr. 5551.

[130]) Omnino undeviginti apud Kirchn. inveniuntur I 361 sq. II 459.

[131]) Cf. Dem. Ep. III 32. Schaefer Dem. III[2] 333 adn. 1; Kirchn. s. nr. 5552.

[132]) Cf. Fick-Bechtel p. 119 sq.

[133]) II 38; III 7,5 (Schep.). Cf. Sondag Diss. p. 25.

Antiphanis Λεπτινίσκος.

Sequatur Antiphanis Leptiniscus (Mein. h. cr. 327; Ko. II 68 sq.), quae fabula semel laudatur, ab Athenaeo XIV 641 f, ubi cum caupone aliquis loqui videtur. Nomen Λεπτίνης, a quo illud deminutivum derivatum est, cum personae a se fictae neque Graecus neque Romanus poeta umquam, quantum scio, dederit, Antiphaneae fabulae titulus ad certum hominem potest revocari, atque opportune accidit, quod hoc nomine Atheniensibus minime perusitato [134]) appellatum virum non ignobilem Antiphanis aetate fuisse constat, illum dico oratorem, [135]) qui legem περὶ τῆς ἀτελείας tulit a Demosthene oratione XX oppugnatam; ad hunc comoediam istam si quis spectasse affirmet, non obloquar, quamquam nullo alio argumento probari potest haec opinio, unum fragmentum dramatis cum servatum sit (140 Ko.) atque Demosthenes in oratione sua de vita moribusque hominis ne quicquam inhonestum proferat, diligenter caveat. [136])

Neque vero magis possum repugnare, si contra dicas Antiphanem in hoc dramate hominem quendam gracilem (λεπτός) vel potius gracillimum (λεπτινίσκος) in scaenam immisisse. [137]) Persaepe enim comici e tali corporis forma petebant iocos, quo factum est, ut Athenaeus totum quasi catalogum possit proferre hominum exilium (XII 551 a sqq.).

Quod ad tempus attinet fabulae, circiter a. 342 in tabula navali mortuum commemorari Leptinem oratorem meminerit necesse est, qui ad eum referre titulum velit. [138])

---

[134]) Enumerantur a Kirchn. II p. 8 sq. 471 undecim *Λεπτίναι.*

[135]) Kirchn. s. nr. 9046.

[136]) Cf. § 13 *τὸ δὲ τοῦ θέντος τὸν νόμον τὰ μὲν ἄλλα ἔγωγε οὐκ οἶδα οὐδὲ λέγω φλαῦρον οὐδὲν οὐδὲ σύνοιδα.* cf. §§ 14. 102. 142 sqq. 157. Schaefer Dem. I^2 411.

[137]) Cf. Bechtel Spitznamen (adn. 19) p. 15. — Leptines formosus puer A P XII 93.

[138]) I G II 803 c 103. 117. Onomaclis heredis mentio fit.

Antiphanis Λύκων.

Aliam addo Antiphaneam fabulam, Lyconem (Mein. h. cr. 327; Ko. II 71), quam Meinekius ad Scarphensem celeberrimum histrionem sic nominatum pertinere opinatus est, „quem aliquando in comoedia, quam actitabat, versum, quo munus ab Alexandro magno peteret, inseruisse tradit Plutarchus Mor. p. 334 f.“ Eundem etiam Antiphanis tempora attigisse ex fragmento discimus catalogi victorum histrionum comicorum I G II 977 p = Wilh. Urk. p. 150 (x), ubi Parmenonem inter et Nausicratem, quorum uterque in Timarchea Aeschinis commemoratur (§§ 98. 100. 157),[139] Lyconis nomen legitur: victorias illas in laterculo inscriptas ad medium saeculum quartum vel decennium proximum sequens pertinere Wilhelmius demonstravit l. l. Sed non facile crediderim comicum histrionem[140] a poeta comico in comicam scaenam productum esse atque irrisum. Itaque quia neque alius Lycon, ad quem referatur fabula, videtur exstare[141] et nomina a λύκος derivata[142] a novae comoediae poetis propter significationem non raro usurpabantur,[143] fortasse et ipse iam Antiphanes pu-

---

[139]) Cf. Aristot. Probl. p. 948 a 3.

[140]) De Lycone actore comico cf. Voelker Diss. Hal. IV 216 sq., qui de fabula Antiphanea Meinekium sequitur.

[141]) Omnino Kirchnero undecim Lycones Athenienses enumerantur II 29. 472, quorum notissimus pater Autolyci maritus Rhodiae (Kirchn. s. nr. 9271), quem una cum filio atque uxore quinti saeculi poetae comici saepissime ludibrio habebant.

[142]) Cf. Fick-Bechtel p. 192 sq.

[143]) In Plauti Curculione Lyco tarpezita inducitur; Euphro coqui discipulo furandi peritissimo nomen *Λύκος* indidit fr. 1, 1. 21. 30 sq. (Ko. III 317); neque aliter appellatur leno ille perditus atque periturus, qui in Plauti Poenulo partes agit; uterque poeta iocose cum lupo comparat, quem sic nominavit, hominem (Euphr. l. l.; Poen. 648, quo demonstratur ex exemplo Graeco Plautum nomen deprompsisse, cf. Leo Plaut. Forsch. p. 94 adn. 1); apud Aristaenetum II 20 (p. 170 Herch.) ioci causa *Λύκων* — *λύκος* componuntur. — (Nominis *Λύκος* septem exempla praebet Kirchn. II 22 sq.) — Cf. *Λύκα* meretrix apud Amphidem fr. 23 (Ko. II 243) et Timoclem fr. 25 (II 462, supra p. 34); *Λύκαινα* Luc. Mer. Dial. 12, 1 (Bechtel Fr. p. 95 sq.). — Praeterea v. Arist. Lys. 629; fr. 337 (Ko. I 481). Schmidt l. l. p. 194 sq.

tandus est, quem in scaenam prodire iussit, homini fraudulento atque rapaci illud nomen imposuisse.

Alexidis Λυκίσκος.

Cum Lycone apte comparari potest Alexidis Lyciscus (Mein. h. cr. 401; Ko. II 347), fortasse non aliter atque illa explicanda. E comoedia unum Lyciscum novi, servum memoratum in Plautino versu fr. XXIX Leo II p. 546.[144]) Sed etiam in vita nomen usurpasse Athenienses, quos Kirchn. II 21. 472 affert, quindecim Lycisci docent, ex quorum numero unus fuit archon a. 344/3 (Kirchn. s. nr. 9214; cf. Ko. l. l.). Quare de titulo iudicium cohibere praestat.

Ad tempus, quo scripta sit fabula, definiendum vereor, ut sufficiat, quod Athenaeus tradit XIII 595 d (= fr. 139 Ko.): μνημονεύει δ'αὐτῆς (sc. Πυθιονίκης) καὶ Ἄλεξις ἐν Λυκίσκῳ; quamquam verisimile est ante a. 330 doctam esse comoediam — hoc fere anno illa cum Harpalo Athenis abiit, cf. inprimis Wagner Diss. p. 15 — tamen pro certo hoc haberi posse negabit, qui Philem. fr. 16 (Ko. II 482) comparaverit.[145])

Alexidis Θράσων.

E numero ceterarum Alexidis fabularum huc inserenda est Θράσων (Mein. h. cr. 400; Ko. II 326 sq.): nomen enim ut Atheniensibus erat perusitatum[146]), ita peraptum videtur militi glorioso, quales ex primis, ut videtur, comoediae temporibus[147]) in Graecorum scaenam comicam prodire solebant, praecipue

---

[144]) Cf. Wendel de nomin. bucol. Jahrb. f. kl. Phil. Suppl. 26 (1901) p. 38 adn. 82.

[145]) Athen. XIII 595 c *μνημονεύει τούτων* (*Πυθιονίκης καὶ Ἁρπάλου*) *καὶ Φιλήμων ἐν Βαβυλωνίῳ*

> *βασίλισσ' ἔσῃ Βαβυλῶνος, ἂν οὕτω τύχῃ·*
> *τὴν Πυθιονίκην οἶσθα καὶ τὸν Ἅρπαλον.*

[146]) Viginti tres Thrasones apud Kirchn. I 484 sq. II 465.

[147]) Cf. Guil. Suess De personarum antiquae comoediae Atticae usu atque origine (Diss. Giss. 1905) p. 45 sqq.

autem in media novaque comoedia florebant.[148]) Ipsius quidem Thrasonis nominis aliud in Graeca comoedia exemplum praesto mihi non est;[149]) nam Terentius celeberrimi sui, qui in Eunucho partes agit, militis nomen, quod in exemplari Graeco exstabat, mutavit, siquidem στρατιώτης ἀλαζών Adulatoris Menandreae non minus apte Βίας appellabatur.[150]) Neque sophistae posteriores hoc nomine militem designant.[151]) Sed eo frequentiora sunt alia nomina e radice Θρασ- ducta, velut Θρασωνίδης, quo nomine miles in Menandri celeberrimo dramate

---

[148]) De milite glorioso apud mediae poetas cf. e. g. Antiphan. fr. 202 (Ko. II 97 sq., dramatis Στρατιώτης ἢ Τύχων, de quo v. infra), Alexidis et Xenarchi comoedias Στρατιώτης inscriptas (Ko. II 373. 473); Alex. fr. 62 (II 318); Nicostr. fr. 9 (II 222); Mnesim. fr. 7 (II 441, e Philippo, cf. supra p. 36). — Dignum est memoratu Militem Antiphaneam et Alexideam eodem fere tempore videri scriptas esse. Iam Engelius (Kypros [Berol. 1841] I 504 sq. opinatus est militem illum, qui in Antiphan. fr. 202 sciscitanti mira de luxuria regum Cypriorum narrat, interfuisse vel fingi interfuisse illi bello, quo anno 350 p. Chr. n. et sequentibus Idrieus, tyrannus Carum, una cum Euagora Salaminio et Phocione Atheniensi Cyprios, qui ab Artaxerxe Ocho defecerant, denuo subicere conabatur. Atque milites — participes erant cum alii tum octo milia Graecorum mercennariorum — non aspernabantur praedam, quae in opulenta insula potuit capi, teste Diodoro Sic. XVI 42 (cf. Engel l. l. 346; Iudeich Kleinas. Studien 133 sqq. 171 sq.). Ex Isocratis Philippo § 102 (quae oratio a. 346 scripta est) collegit Iudeichius tum temporis bellum nondum fuisse confectum. Ergo annis fere 345-340 Antiphanea Στρατιώτης assignanda. Alexidis autem fabulam cognominem anno fere 342/1 doctam esse e fr. 209 perspicitur, in quo antitheton illud Demosthenicum (διδόναι — ἀποδιδόναι), quo in oratione Halonnesica usus erat orator, ridetur (cf. Mein. h. cr. 387). Non recte, ut mihi quidem videtur, Dietzius Diss. p. 49 negavit illo fragmento adiuvante tempus definiri posse.

[149]) In Pape-Bens. Lex. d. gr. Eigenn. nimium affirmatur, cum sub hoc nomine dicitur „Person in Ter. Eun., überhaupt stehende Person der neuern Komödie, Menand. mil. glor.“

[150]) V. fr. 293 (Ko. III 83) = Plut. Mor. 57 a; Menandri Adulatoris fragm. nuper repertorum v. 32 (Papyr. Oxyrh. ed. Grenfell-Hunt III (1903) p. 13 sqq., cf. Leo Goett. Nachr. 1903, 673 sqq.). — Ne parasiti quidem nomen Menandreum retinuit Terentius (Στρουθίας — Gnathon, cf. supra adn. 114).

[151]) In Luc. Meretr. Dial. 12,1 Thraso quidam convivio alicui interfuisse dicitur nulla eius morum adiecta descriptione.

Μισούμενος (Ko. III 97 sqq.) primarias egit partes. [152]) Conferas Plut. Non p. suav. v. sec. Epic. 13 (= Mor. p. 1095 D) et Alciphr. II 13. [153]) Simili nomine ornatus incessit Menandreus Thrasyleo in fabula cognomini Ko. III 69. [154]) Iam Theopompus „Στρατιωτίσιν“ suis uxorem Thrasymachi praeesse voluit fr. 56 (Ko. I 748). [155]) Quae cum ita sint, etiam Thrasonem Alexideum fortasse unum fuisse e grege illo gloriosorum militum permagno facile concedes.

Ceterum fuit huius nominis huiusque saeculi vir Atheniensis non ignobilis, Thraso Erchiensis (Ko. l. l.; Kirchn. s. nr. 7384), qui quamquam paulo ante Alexidem floruisse videtur — particeps erat Cadmeae a Lacedaemoniis liberandae Aesch. III 138; Din. I 38 — tamen postea quoque publicis muneribus functus est, si recte IG II Add. 66 b suppletur [Θρ]άσων [Ἐρ]χιεύς (πρεσβευτὴς ᾑρημένος πρὸς Κετρίποριν τὸν Θρᾷκα a. 356).

Tamen potius priorem illam explicationem accipiam.

Alexidis Lyciscum cum a Lycone Antiphanis seiungere nollemus, factum est, ut illius fabulae huc pertinentes ante Eubuli poetae natu maioris ponerentur. Quare ad hunc iam revertamur necesse est.

Eubuli Πάμφιλος.

Primum disseramus de eius Pamphilo (Mein. h. cr. 365; Ko. II 192 sq.). Hoc nomine, quod Atheniensibus in vita usitatissimum erat, [156]) praediti temporibus Eubuli nonnulli fu-

---

[152]) In fr. 344 (huius comoediae) *Θράσων* quod legitur, videtur corruptioni deberi atque *Θρασωνίδης* latère.

[153]) Cf. Sondag Diss. p. 21 sq. — In vita Atheniensibus rarius in usu fuisse videtur Thrasonides: quattuor apud Kirchn. I 485; Thrasonides Corinthius est apud Ael. V. h. 14, 24.

[154]) Tit. Thrasyleo infra memorandus est. Cf. Ael. ep. rust. 9; Plut. l. l.

[155]) Cf. Steiger Diss. p. 4. — Temere coniecit Muhl Progr. (cf. adn. 21) p. 115 sq. *Θρασύλλου δ' ὑμῖν ἡ γυνή.* — Philem. fr. 20 (Ko. II 483) Kockius nomen Thraseas inesse opinatur, quod mihi dubium videtur.

[156]) Quadraginta Pamphili apud Kirchn. II 176 sqq. 479.

erunt viri, quos poetarum risum movisse facile credas: floruit pictor quidam[157]) Aristophani commemoratus in Pluto (v. 385);[158]) porro Atheniensis Pamphilus (Kirchn. s. nr. 11545), quem praetorem a. 389/8 Aeginae re male gesta accusatum et Aristophanes carpsit in eodem dramate (v. 174) et Plato comicus (fr. 14, Ko. 604, cf. Aristoph. fr. 40, I 401); posterioris paulo temporis est Pamphilus unus ex illis Chaerephili ταριχοπώλου filiis (Kirchn. s. nr. 11 555), quos una cum patre saepius mediae comoediae scriptores vellicabant.[159]) Horum omnium tempora Eubulus attigisse putandus est.[160]) — — Sed etiam hic magis ad eam inclino opinionem, ut fictam personam esse suspicer. Nomen quam multum usurparint poetae novae potissimum comoediae, nempe aptum propter etymum adulescenti in amorem praecipiti, non est, quod moneam.[161]) Accedit, quod e fragmentis comoediae, quae aetatem tulerunt, apparere videtur fabulam scriptam esse non in unum hominem cavillandum, sed simili modo atque postea comoedias Menandri eiusque aemulorum (cf. Kaibel ap. PW VI 878) versatam esse in amoribus mutuis adulescentis cuiusdam atque puellae, ut videtur, liberae. Nec defuit puellae nutrix vinosa et, ut opinor, amatoris amicus. Narrat enim in fr. 80. 81. 82 Ko., quisquis loquitur, ὅτι „ἐπετήρει τὴν τροφὸν τῆς παρθένου“ eo, quod

---

157) De eo quae tradita sunt congessit Brunn Gesch. d. griech. Künstler II 132 sqq.

158) Cf. schol. ad. loc., ubi dubitatur, utrum pictor fuerit an poeta tragicus.

159) Antiphan. fr. 26, 21 sq. (Ko. II 20); Alex. fr. 6 (II 299). 77 (322; e fragmento colligi potest fabulam [est Epidaurus vel Epidaurius] non ita multo post Timoclis Icarios Satyros, i. e. post a. 345 et sequentes [Wagner Diss. p. 25 sq. 28] doctam esse). 218 (377); Timocl. fr. 14 (II 458). 17 (459). 21 (461).

160) Cf. Suid. s. n.: *μεθόριος τῆς μέσης κωμῳδίας καὶ τῆς παλαιᾶς.*

161) Ne exempla desint, cf. Philem. fr. 148 (Ko. II 523); Men. fr. 566 (III 173) [cf. adn. 313]; 631 (188); Philipp. fr. 26 (III 309); adesp. fr. 274 (III 457). 297 (462). — Ter. Andr.; Hec. — Alciphr. I 15, 1; IV 6, 1 (Schep.); Aristaen. I 25 (p. 154 sq. Herch.). II 16. 18 (p. 167. 168 sq.). — Cf. Sondag Diss. p. 56.

cauponem largissime ei pocula ministrare iussit — nam „ἔτυχεν ὂν κατ' ἀντικρὺ τῆς οἰκίας καινὸν καπηλεῖον μέγα“ — quod illa nequaquam aspernabatur. Videtur igitur aut ipse amator puellae nutricem ebriam reddidisse (sic Kockius) aut amicus amatoris nescio quis illam apud cauponem retinuisse, dum Pamphilus ipse amatam viseret: quod versimilius est, quia domum eius, qui loquitur, in scaena non exhibitam fuisse verba tradita docent, cum amatorem ipsum primarias partes agentem in scaena habitasse ex Romanae comoediae similitudine concludere liceat.

Eubuli Παρμενίσκος.

Eiusdem poetae alia comoedia huc mihi videtur pertinere, Parmeniscum dico (Mein. h. cr. 366; Ko. II 194). Nomen in vitae usu apud Athenienses non ita frequens erat,[162] neque putaverim philosophum illum Pythagoreum Xenophanis aequalem (Diog. Laert. IX 20), qui quomodo amissam ridendi facultatem receperit, narrat Semus apud Athenaeum XIV 614 a[163]) (cf. Ko. l. l.), comoediae nomen dedisse; sed cum et in vita et saepissime in comoedia servi nomine Παρμένων ornati sint,[164] et in hac Eubuli comoedia opinor servolum in scaenam prodiisse nescio quibus artibus spectatores delectatum (cf. Kaibel ap. PW VI 878).

---

162) Quinque Parmenisci apud Kirchn. II 182. 479; sexies *Παρμένων* apud eundem (ib.).

163) De similibus narratiunculis cf. Rohde Griech. Roman[1] p. 414 adn. 1.

164) Theophrasti servus Diog. Laert. V 55. — Cf. Schol. Luc. ad. Dial. mer. 9, 1. 2 (ed. Rabe. p. 281, 8) *ὄνομα δουλικὸν ὁ Παρμένων, ὥσπερ ὁ Δρόμων καὶ ὁ Τίβιος καὶ ὅσα ἄλλα ἢ ἀπὸ γένους καλεῖται ὡς ὁ Φρύγιος, ἢ καὶ ἀπὸ τρόπου, ⟨ὡς⟩ ὁ νῦν Παρμένων · · παρὰ τὸ παραμένειν γάρ κτλ.* et similiter Hellad. apud Phot. Bibl. cod. 279 (p. 532 b 40 Bekk.). Donat ad Ter. Adelph. I 1, 1 (cf. Fick-Bechtel p. 205). — Aristoph. Eccl. 868; Philem. fr. 44 (Ko. II 489); Men. fr. 407 (III 119). 481 (138). 649 (191); *Σαμ.*; fragm. Florileg. Berl. Klass.-texte V 2 (1907) 129 nr. 8. — Plaut. Bacch. 649; fab. inc. fr. XXIX Leo; Ter. Eun.; Hec.; Ad. 168. 619; Caecil. v. 50 Ribb.[2] (= fr. VI Fallaciae p. 43 R.[2]). — Luc. Dial. mer. 9, 1. 2; (Ael. ep. rust. 9); Alciphr. II 18, 1. — Cf. Sondag Diss. p. 62; Schmidt l. l. 199.

Ephippi Κύδων.

Ambiguae explicationis est Ephippi Cydon (Mein. h. cr. 352; Ko. II 256 sq.), de qua fabula haec profert Ko. l. l.: „Zenobius 2, 42 ἀεί τις ἐν Κύδωνος· ἐπὶ τῶν φιλοξένων καὶ πρὸς ὑποδοχὴν ἑτοίμων. παρόσον ὁ Κορίνθιος Κύδων φιλοξενώτατος ἐγένετο. cf. Diogen. 8, 42. Macar. 1, 32. Apostol. 16, 59. Phot. τίς ἐν Κύδωνος. Suid. τίς et ἀεί τις." Si quid commune habet titulus cum isto proverbio, aut Ephippus ipsum illum Corinthium in scaenam produxit ita, ut ex hac comoedia proverbium natum putandum sit, id quod mihi quidem minus placet, aut poeta, cum hominem maxime hospitalem in scaena vellet depingere, ei nomen Κύδων imposuit ex illo proverbio omnibus notum. Atque quae servavit Athenaeus fragmenta (= 12. 13 Ko.), sumpta esse dicas e descriptione cenae opulentissimae, qualibus Cydon amicos exceperit. [165])

An fortasse civis Cydoniae urbis est intellegendus coll. Steph. Byz. s. v. Κυδωνία· πόλις Κρήτης .... ὁ πολίτης Κυδωνιάτης καὶ Κύδων καὶ Κυδώνιος καὶ Κυδωναῖος κτλ., et conferendi tales tituli, quales sunt Antiphanis Βυζάντιος Ζακύνθιος Λευκάδιος, Alexidis Ἐρετρικός Καρχηδόνιος (etiam Menandri, cf. Plauti Poenulus) Σικυώνιος (etiam Menandri) Συρακόσιος, Menandri Ἐφέσιος Ἀνδρόγυνος ἢ Κρής al.? [166])

Apollodori Geloi Αἰσχρίων.

Soli Suidae debemus Apollodori Geloi titulum Αἰσχρίων (Mein. h. cr. 461; Ko. III 278), quod nomen etiam in vitae usu

---

[165]) Kirchn. nullum Cydonem Atheniensem affert, sed nonnullos *Κυδίας Κυδήνωρ Κυδείδης Κυδικλῆς Κυδίμαχος Κύδιμος Κύδιππος Κυδίστρατος* I 601 sq. II 471; cf. Fick-Bechtel p. 180 sq. — Cydon Byzantius erat unus e proditoribus, qui a. 409 Alcibiadi urbem suam tradiderunt (Xen. Hell. I 3, 18).

[166]) Cydon etiam *ἥρως κτίστης* est illius urbis; vide testimonia in Roscheri lex. myth. II 1674. Nomen militis A P VI 91. — *Κώδων* unam e fabulis suis inscripsit Posidippus (Ko. III 339) „nisi *Κύδων* fabulae titulus fuit" (Mein. h. cr. 483).

Atheniensibus adhibebatur.[167]) Nobilissimus autem vir sic nominatus erat Aeschrion ille ἰαμβοποιός,[168]) aequalis, ut videtur, Aristotelis, quem hic significari forsitan aliquis coniciat. Tamen propius ad verum opinor eum accedere, qui fictum nomen putet, homini turpi a poeta ficto inditum, collatis titulis ΑΙΣΧΡΑ Anaxandridis et Euphronis (cf. infra), Κάλλαισχρος Theopompi et Ophelionis (cf. supra p. 52 sq.) nec non Αἰσχέᾳ illo, quem in fabula Φιλάργυρος inscripta in scaenam immisit Dioxippus poeta comicus.[169]) Quae sententia pro vera posset affirmari, nisi Caecilii Statii comoediae titulus Aeschrio merae coniecturae deberetur Meinekii: laudatur haec fabula a veteribus nomine Aethrio (sic ter a Festo, semel a Nonio; apud Diomed. nonnulli codd. habent etherione etetheriore).

Tredecim istos comoediarum titulos modo tractatos, qui sintne a certis hominibus repetendi an a fictis personis — quod alterum saepius nobis verisimilius esse videbatur — nonnumquam non constat, — fuerunt autem Theopompi et Ophelionis Κάλλαισχρος, Antiphanis et Alexidis Μίδων Φιλίσκος, Antiphanis Γόργυθος Εὔθύδικος Λεπτινίσκος Λύκων, Alexidis Λυκίσκος Θράσων, Eubuli Πάμφιλος Παρμενίσκος, Ephippi Κύδων, Apollodori Geloi Αἰσχρίων — eae nunc excipiant paucae fabulae, quas a personis fictis denominatas esse admodum certis argumentis potest demonstrari.

Phrynichi Ἐφιάλτης.

Prima sit Phrynichi Ephialtes (Mein. h. cr. 152 sqq.; Ko. I 369 sqq.), quam fabulam Kaibelius sagaciter docuit

[167]) Quindecim apud Kirchn. I 29 sq.

[168]) De eo cf. Knaack apud P W I 1063.

[169]) Athen. XI 472 b = fr. 4 (Ko. III 359). Kockius corrigendum putavit *Αἰσχρέα* et secutus est Kaibelius; sed *Αἰσχέας* nominis (quod iam Mein. restituebat; errat Kaib. in adn. crit. ed. Ath.) exempla Kirchn. I 23 e lapidibus collecta habet quattuor, *Αἰσχρέας* nullum. Quem Kockius l. l. adsciscit *Αἰσχρέαν* (Herod. VIII 11), est revera *Αἰσχραῖος* (*Λυκομήδης Αἰσχραίου* Kirchn. s. nr. 9238 et 377). *Αἰσχρέας* legitur apud Ael. ep. rust. 17 tit. Cf. de eiusmodi nominibus Fick-Bechtel p. 49.

(Herm. XXIV [1889] 35 sqq.) neque a gigante cognomini nec daemone neque oratore titulum traxisse, sed a servo, cui propter facinus aliquod audax hoc nomen indere placuisset poetae.[170] Quem Ephialtem conservo Eupolidi poetae — serviunt autem Lyconi, Autolyci patri — fabulas furantem fecerat comicus et ab Eupolidis cane necatum, quod ex Aeliano de anim. X 41 et Apsine rhet. Gr. ed. Walz IX 484 Kaibelius collegit l. l. Sub Ephialtis nomine num quis aequalis Phrynichi sive poeta sive alterius generis vir lateat, nescio.

Antiphanis Κνοιθιδεὺς ἢ Γάστρων.

Secundo loco commemoretur Antiphanis Κνοιθιδεὺς ἢ Γάστρων (Mein. h. cr. 331; Ko. II 60 sq.), cuius tituli partem posteriorem Ribbeck Kolax p. 72 suo iure pro parasiti nomine habuit; addo pro ficto, ut ipsius nominis forma ostendit homini ventris voluptatibus dedito aptissima:[171] quod nomen tamen ne in vitae quidem usu contemnebatur.[172] — Hoc autem est dubium, num ea pars tituli, quacum sola hic nobis

---

[170]) Fragmentum illud gravissime corruptum (1 Ko.) sic traditum

> ὄνομα δέ τωι τοῦτ' ἦν ἔσωθεν γῆν τε μὴ
> ἔστω φιάλτης ἀνδραγαθίας οὕνεκα,
> ἔτι ἐπιαλὰς χρηστὰ λε ἀπωλόμην

hoc modo legendum censet Kaib.

> ὄνομα δὲ τούτῳ γ', ἤν τε θεόθεν ἤν τε μή,
> ἔστω Ἐφιάλτης ἀνδραγαθίας οὕνεκα,
> ὁτιὴ (vel ἐπεὶ) ἐπιήλας χρηστὸν ἄνδρ' ἀπολώλεκεν.

Sed vereor, ut liceat v. 3 primam personam (ἀπωλόμην) delere; fortasse v. 1 tale quid scribendum

> ὄνομα δ' ἐμοὶ τοῦτ' ἦν τὸ πρόσθεν· νῦν δὲ μὴν
> ἔστω Ἐφιάλτης κτλ.
> (τὸ πρόσθε Arist. Eq. 751).

[171]) Cf. p. 52. — Arist. Ran. 200 (c. schol.); Athen. III 97 c; etiam Arist. Av. 1604; Thesm. 816; Antiphan. fr. 89, 5 (Ko. II 47) = Epicrat. fr. 5, 8 (II 284). — Bechtel Spitznamen (cf. adn. 19) p. 31.

[172]) Cf. I G II 836, 79; Polyaen. 2, 16 (Γάστρων Λακεδαιμόνιος) = Frontin. Strateg. II 3, 13.

est res, ab ipso poeta profecta sit; quod negavit Bender Diss. p. 49, equidem discernere non ausim.

In altero huius fabulae fragmento Philippus rex videtur nominari, cf. adn. 67.

Antiphanis Στρατιώτης ἢ Τύχων.

Eandem dubitationem eiusdem poetae alius habet duplex titulus, Στρατιώτης ἢ Τύχων (Mein. h. cr. 336 sq.; Ko. II 97 sqq.), de quo non aliter iudicavit Bender (Diss. p. 50) priorem partem genuinam fuisse comoediae inscriptionem contendens. Quod quamquam verum esse potest, tamen omittere titulum nolui. De altera parte hoc Meinek. l. l. „Tychonem utrum daemonem illum Venerium dicat (sc. Antiphanes) . . an pro nomine proprio, ipsius fortasse militis, habendus sit non definiam.“ Similiter Ko., qui testimonia de deo illo Priapeo apponit. Prius qui probandum putet, afferat forsitan Eubuli Ὀρθάνην (Ko. II 190), Timoclis Κονίσαλον (II 461), Xenarchi Πρίαπον (II 472).[173] Sed mihi altera potius arridet interpretatio, quia illo nomine optime miles, qui quam plurima belli fortuna velit consequi, designari videtur.[174] — De tempore comoediae cf. adn. 148.

Alexidis Δημήτριος ἢ Φιλέταιρος.

Deinde huc pertinet Alexidis Δημήτριος ἢ Φιλέταιρος (Mein. h. cr. 388 sq.; Ko. II 313 sqq.).[175] Quam enim simili-

---

[173]) V. de his daemonibus nunc Gruppe Gr. Mythol. u. Relig.-Gesch. p. 853 sqq.

[174]) Cf. Fick-Bechtel p. 270. Ritschl Parerga p. 164 adn. — Kirchn. nullum praebet nominis exemplum, sed cf. Diog. Laert. III 42; V 15 (Mein. l. l. adn. 59; servorum nomina); I G IV 1485, 41. — Cf. Plut. Pelop. c. 29; Usener Götternamen p. 285 sq.

[175]) Simplici titulo apposito *Δημήτριος* omnia fere fragmenta laudantur: Athen. III 108 a. VII 314 d. VIII 338 d. Stob. 115, 7 (= fr. 50. 48. 46. 45 Ko.). XIV 663 c *ἔχει δ' ⟨οὕτως⟩ ἡ σύμπασα ἐκλογὴ οὖσα ἐκ τοῦ διεσκευασμένου δράματος ὃ ἐπιγράφεται Δημήτριος*; uno loco Athen. VI 241 b (= fr. 47 Ko.) duplex titulus invenitur; qua re nisus Mein. l. l. statuit „Demetrium fuisse repetitam recensionem fabulae Philetaeri nomine inscriptae;“ cf. Bender Diss. p. 52.

tudinem inter Alexidis Demetri fragmentum apud Athenaeum VIII 338 d servatum et Turpili versus a Nonio 488, 18 allatos Casaubonus indagavit,[176]) ea — praesertim quod versibus Turpilianis titulus Demetrius adicitur — certissime evincitur fabulam illam Latinam e Demetrio Alexidis expressam esse. Nam etiam Alexideas fabulas comicos Romanorum poetas in suam linguam transtulisse diserte testatur Gellius N. A. II 23, 1. Quare nullo modo de Demetrio Poliorceta cogitari potest[177]) neque de alio eius aetatis viro cognomini ab Alexide toto dramate irriso. Neque magis stare potest, quam Fritzschium secutus de argumento fabulae Kockius l. l. profert, coniectura:[178]) putavit enim Plauti verba Bacch. 911 sq. „Satin est si plura ex me audiet hodie mala (sc. Mnesilochus: loquitur Chrysalus servus) | quam audivit umquam Clinia ex Demetrio?“ — ad istam Alexidis fabulam pertinere, quippe quam ante Turpilium iam Naevius (in „Demetrio“ Ribb.² p. 14) in Romanam scaenam detulisset. „Demetrius nomen est fictum . . . adulescens bene moratus, amicus (φιλ-

---

[176]) Fr. 46 Ko. πρότερον μὲν εἰ πνεύσειε βορρᾶς ἢ νότος
ἐν τῇ θαλάττῃ λαμπρός, ἰχθὺς οὐκ ἐνῆν
οὐδενὶ φαγεῖν κτλ.

Turpil. fr. 5 Ribb.² p. 97 antehac si flabat aquilo aut auster, inopia
tum erat piscati —.

[177]) Cf. supra p. 12. — Fielitz De comoedia att. bipartita (Diss. Bonn. 1866) p. 10 adn. — Mein. l. l. „Qua in fabula si Demetrii Poliorcetae laudes celebravit etc.“ Sed omnino non credo totarum comoediarum argumenta in celebrandis quibusdam hominibus atque laudandis versata esse (sic Mein. etiam h. cr. 275 sq.), nisi quando tales fabulae in lucem proferentur. Alia est res, cum obiter in comoediam cuiusdam viri laudationem poeta inserit, velut e. g. Cimonis mortui Cratin. fr. 1 (Ko. I 11); Niciae Telecl. fr. 41 (I 219); Eupol. [fr. 91 (I 280;] fr. 181) (I 308); Sophoclis mortui Phryn. fr. 31 (I 379); Agathonis Arist. Ran. 83 sq. (cf. Eq. 565 sqq. 595 sqq.). Porro cf. Antiphan. fr. 81 (Ko. II 44); Alex. fr. 94 (II 327). 111 (336; cf. infra sub tit. Κράτεια ἢ Φαρμ.). 216 (376). 244 (386). [247 (388)]; — de Scipione Naev. v. 108/10 p. 25 Ribb.²

[178]) Probavit coniecturam studuitque fulcire etiam Toeppelius De fragmentis comicorum Graecorum quaestiones criticae. Specimen tertium. Gymn. Progr. Neubrandenburg 1867, p. 9 sqq.

ἑταῖρος) Cliniae, iuvenis luxuriosi, quem ille gravi et benigna adhortatione ad modestiam et prudentiam revocare studebat" (Ko. l. l.); quam coniecturam recte mihi videntur repudiasse Leo (Herm. XVIII [1883] 559) et Hueffnerus,[179] non minus recte hic illius opinionem, qui Demetrium esse Phalereum probare conabatur, debilem esse affirmavit. Quo Plautini versus pertineant, adhuc nescimus.[180])

Fabulam et Graecam et barbare conversam admodum placuisse spectatoribus lectoribusque concludere licet e Diomed. I p. 397 P (p. 402, 12/3 Keil) „apud Turpilium comoedia nobili, cuius titulus Demetrius" (sequitur fr. XIV Ribb.), — et ex eo fortasse, quod bis hanc comoediam protulisse videtur Alexis teste Athenaeo XIV 663 c (cf. adn. 175), quamquam hoc etiam in aliam partem accipi potest: conferas, qua de causa Aristophanes Nubes Terentius Hecyram retractarit, et Athen. IX 374 b.

Reiecta illa de Poliorceta Demetrio coniectura unicum signum, quo tempus fabulae circumscribatur, amisimus; sed

---

[179]) De Plauti comoediarum exemplis Atticis quaestiones maxime chronologicae (Diss. Gott. 1894) p. 37 sq. Liceat mihi eius verba exscribere: „Vide · ·, quam non is Demetrius, qui in Cliniam summa mala ingerat, ei conveniat, qui amicum gravi et benigna adhortatione ad temperantiam revocare studeat; quin Demetrius re vera maledictis et iurgiis lacessivit Cliniam, nec dubitari potest, quin Chrysalus Mnesilochum vituperaturus ad graviora potius quam minora respexerit. Deinde illud „umquam" in v. 912 non licet intellegere de fabula semel bisve data etc."

[180]) Cliniae nomen in vita Atheniensibus non ita usitatum (undecim apud Kirchn. I 569) comoediae proprium fuit: cf. Plaut. Asin. 865; Ter. Andr. 86; Heautontim.; Inc. pall. fr. XIII p. 115 Ribb.² (hunc versum ad Demetrium Turpilianum rettulit Fritzschius sequente Toeppelio l. l. [v. adn. 178] p. 11). — Atque Cliniae filio Heautontimorumeni multa profecto mala erant audienda, sed patris nomen Menedemus est apud Terentium: dolendum est, quod, cum commentarius Donati in Heautontimorumenon desit, nescimus, quo nomine Menander patrem ornaverit. — Demetrius poeta comicus, quem Hueffnerus l. l. memorat, in comoedia, cui *Ἀρειοπαγίτης* inscripsit, histrionem in scaenam videtur induxisse (fr. 1, 3, Ko. III 357; cf. Wilh. Urk. p. 154), sed nullum histrionem Cliniam nomine novi.

eam in novae comoediae aetatem includendam esse eo, quod Romanus ad transferendum sibi elegit, verisimile fit; et idem fortasse e fr. 48 Ko. colligi potest, quippe qui versus etiam in fabula Κράτεια ἢ Φαρμακοπώλης (fr. 110, 9-11, Ko. II 335) legantur, quae Demetri Poliorcetae temporibus acta est (v. infra). Quare Corydi mentionem [181]) prioris fabulae recensionis fuisse, id quod Meinekius voluit, etiamnunc credi potest, quamquam parasitus ille famosus per satis longum temporis spatium in scaena comica commemoratus atque illusus esse videtur. [182]) — Phayllus φίλιχθυς ille (fr. 46 Ko.) quis fuerit, nescio; atque cum versus, quibus illuditur, non omisisse videatur Turpilius, [183]) coniciat quispiam partes nescio quas illum egisse in Alexidis fabula neque fuisse hominem poetae aequalem obiter tantum vellicatum. At quis est, qui neget fieri potuisse, ut neglegentia quadam Romanus poeta

---

[181]) Fr. 47 Ko.: est illud, quod solum duplici titulo citatur, fragmentum; cf. adn. 175.

[182]) Cf. de eo Ribbeck Kolax p. 71. 80 sq.; Wagner Diss. p. 16. — Proprium eius nomen fuit *Εὐκράτης* (Athen. VI 241 d); commemoratur et una cum Epicrate (*Κυρηβίωνι*) (Alex. fr. 168, Ko. II 359), qui „*Αἰσχίνου τοῦ ῥήτορος κηδεστής, ὥς φησι Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τῆς παραπρεσβείας*“ (Athen. VI 242 d; Dem. l. l. § 287) non post annum 370 natus esse videtur (cf. Kirchn. s. nr. 4908), et cum Blepaeo (Alex. fr. 227, Ko. II 380 „*ὁ Κόρυδος οὗτος ὁ τὰ γέλοι᾽ εἰθισμένος | λέγειν, Βλεπαῖος βούλετ᾽ εἶναι. — νοῦν γ᾽ ἔχων· | πλουτεῖ γὰρ ὁ Βλεπαῖος*“), qui idem me iudice atque *Βλεπαῖος ὁ τραπεζίτης* (Kirchn. nr. 2876; solus Blepaeus in Prosop. Att. [*Βλεπαῖος* in tit. ap. Ael. ep. rust. 1]: etiam hunc divitem fuisse e Demosth. XXI 215 discimus) iam ante annum 357 argentariam faciebat (eo enim anno mortuus est Mantias, pater Mantithei [cf. Kirchn. s. nr. 9667], quem Blepaei mensa usum esse testatur Demosth. XL 52): sed commemoratur Corydus vivus etiam ab Euphrone comico fr. 8 (Ko. III 321), quem, cum usque ad annum 275 vel diutius fabulas docuisse verisimile sit (fr. 11, Ko. III 323 coquus inducitur, qui Soteridis, coqui Nicomedis Bithyniae regis, discipulum se esse gloriatur: Nicomedes autem a. 280. demum regnum occupavit cf. Niese I 73. 78. 81), ante annum fere 320 de palma victoriae comicae certasse vix crediderim.

[183]) Cf. adn. 176; sequitur apud Alexidem: *νυνὶ δὲ πρὸς τοῖς πνεύμασιν | τούτοις Φάυλλος προσγέγονε χειμὼν τρίτος κτλ.*; aliquid simile apud Turpilium exspectatur.

e Graeco exemplari transtulerit aliquid, quod minus intellegere potuerunt Romani spectatores?[184])

Menandri Θρασυλέων.

Menander unam e fabulis suis inscripsit Θρασυλέων (Ko. III 69 sqq.), quod nomen e vitae usu depromptum[185]) aptum ei videbatur, quo gloriosum militem, qualem depingere voluit, designaret.[186]) Sexti Turpili Thrasyleon e Menandri expressa videtur (cf. Ribb.² p. 109).

Tractavimus adhuc comoediarum titulos per vera nomina formatos, eiusmodi dico, quae etiam in usu vitae ad unum omnia[187]) adhibita esse certis testimoniis potuit comprobari, licet nonnulla vel propter etymum vel aliis de causis non ab hominibus poetae e vita notis et qui in scaenam comicam producerentur dignis desumpta nobis viderentur, sed personis a poeta fictis imposita. Sed aliae quaedam exstant fabulae, quibus non tale nomen, quali quilibet Atheniensis filium appellare potuit, inscriptionem dedisse videatur, sed aliquod cognomen naturam moresque eius, qui primarias partes agebat, homunculi ut designaret adhibitum, a poeta aut inventum aut e vulgari usu videlicet proverbiali depromptum. Memineris Μονότροπον Phrynichi (Mein. h. cr. 156; Ko. I 375 sqq.; imitati sunt Ophelio [Ko. II 294] et Anaxilas [Ko. II 269]); Περιάλγη Platonis (Mein. h. cr. 181; Ko. I 629 sq.); Ἡδυχάρη Theopompi (Mein. h. cr. 240; Ko. I 736 sq.; Platonem significatum putari vetat fr. 15 Ko., non iubet); eiusdem generis fortasse est Γηρυτάδης Aristophanis (Ko. I 427 sqq.) [Cf. etiam Περίαλλον Epicharmi

---

184) Cf. Bacchidum Plautinarum versus modo (p. 68) exscriptos, et eiusdem poetae Persa v. 824 sqq. (Hegeae et Diodori commemoratio).

185) Hoc tres saltem Thrasyleontes docent apud Kirchn. I 480 enumerati (quorum duo saec. IV).

186) Cf. Thrasonem Alexideam supra p. 60 sq. cum adn. 154.

187) Excipienda est Dexidemides Amphidis, quam nihilominus priori classi attribuendam putavi, v. p. 50.

(Kaib. I 111; Salis de Doriensium ludorum in com. Att. vestigiis, Diss. Bas. 1905, p. 51 sq.)] Apparet sane fieri potuisse, ut sub eiusmodi nomine hominem certum ioci causa sic appellatum αἰνιγματωδῶς traducerent poetae comici, id quod posterioris comoediae proprium fuisse dicunt commentationum illarum de comoedia scriptores veteres:[188]) exemplum satis luculentum esset Βάταλος illa quae inscripta videtur[189]) fuisse Antiphanis comoedia — quicumque enim hunc fabulae indicem audiet, de Demosthene cogitabit — nisi in auloedum obscurissimum scripta esse diserte traderetur:[190])

---

[188]) Cf. e. g. Platon. § 3 sqq. (Kaib. C G F I p. 4); Schol. Dionys. Thr. (ib. p. 15); Tzetzes de com. (ib. p. 20 sq. 28); id. *περὶ διαφ. ποιητ.* v. 85 (ib. p. 37).

[189]) Nam ne titulus quidem satis constat; colligitur e Plut. Demosth. 4: *ἦν δ᾽ ὁ Βάταλος, ὡς μὲν ἔνιοί φασιν, αὐλητὴς τῶν κατεαγότων. καὶ δράματιον εἰς τοῦτον, κωμῳδῶν αὐτόν, Ἀντιφάνης πεποίηκεν κτλ.* Cf. Mein. h. cr. 333 sqq.; Ko. II 29. 35: in fabula *Αὐλητής* inscripta Batalum ab Antiphane illusum esse putarunt. Quae cum ita sint neque sciamus, *Βάταλος* verum nomen fuerit auloedi an cognomen, primae quam constitui classi titulum accensere nolui. Qui si recte se habet, non crederem nihil comoediam ad illustrem oratorem pertinuisse, nisi Antiphanes iam eo tempore, quo Demosthenes demum natus est, fabulas scripsisset. Sed hoc fortasse licet coniectare per drama Antiphaneum nomen *Βάταλος* in maiorem usum venisse et ita Demostheni ab adversariis esse impositum. — Cet. cf. Radermacher Berl. phil. Woch. 1907, 301 sq.

[190]) Cf. adn. 189. — Huc pertinent etiam Antiphanis et Axionici fabulae *Τυρρηνός* inscriptae (Ko. II 102 sq. 411 sq.), si recte ad Polystratum Atheniensem titulum spectare sequente Kockio statuit Meinek F C G V 78 coll. Athen. XIII 607 f *οἶδα δὲ καὶ Πολύστρατον τὸν Ἀθηναῖον, μαθητὴν δὲ Θεοφράστου, τὸν ἐπικαλούμενον Τυρρηνόν, ὅτι τῶν αὐλητρίδων τὰ ἱμάτια περιέδυεν.* Sed hoc minime verisimile est. Nam Antiphanes, utpote circiter annos 334—31 mortuus, non potest discipulum Theophrasti illusisse, atque, ne Antiphani minori fabulam ascribamus, impedimur commemoratione Tithymalli parasiti fr. 210 Ko., quem mediae tantummodo comoediae scriptores nominant: Aristophon fr. 10 (Ko. II 280, desumptum e *Πυθαγοριστῇ*); Alex. fr. 151 (II 352, e Milesia); 157 (355, ex *Ὀδυσσεῖ ὑφαίνοντι*); 159 (ib., ex Olynthia); Timocl. fr. 10 (II 456, ex *Ἐπιστολαῖς*); 18 (460, e *Καυνίοις*); 19 (ib., e *Κενταύρῳ ἢ Δεξαμενῷ*) [Dromo poeta comicus (Ko. II 419) solum propter Tithymalli commemorationem mediae comoediae accensetur, v. Mein. h. cr. 418]: atque *Καυνίους* fabulam Timoclis, cum versibus 4 sq. illius fragmenti (*οὐκ ἀπεκαρτέρησε γὰρ* | *ἐκεῖνος, ἀλλ᾽*

antiquae comoediae temporis exemplum est certum Eupolidis Μαρικᾶς (Mein. h. cr. 137 sqq.; Ko. I 307 sqq.), quo nomine ut Hyperbolum demagogum illuderet usus est poeta, nec non Τριφάλης Aristophanis, quo Alcibiades significari videtur (cf. Ko. I 528 sqq.), fortasse etiam Σύρφαξ titulus Platonis (Mein. h. cr. 185 sq.; Ko. I 642 sq.; cf. Bechtel Spitznamen (v. adn. 19) p. 74; Σύρφαξ Ἐφέσιος Arr. Anab. I 17, 12); novae afferre liceat Κεραυνόν Anaxippi (Mein. h. cr. 469 sq.; Ko. III 299), cuius hoc fragmentum servavit Athen. X 416 f

ὁρῶ γὰρ ἐκ παλαίστρας τῶν φίλων
προσιόντα μοι Δάμιππον. — ⟨ἦ⟩ τοῦτον λέγεις
τὸν πέτρινον † τοῦτον οἱ φίλοι καλοῦσί σοι
νυνὶ δι' ἀνδρείαν Κεραυνόν· εἰκότως·
ἀβάτους ποιεῖν γὰρ τὰς τραπέζας οἴομαι
αὐτὸν κατασκήπτοντα † αὐταῖς τῇ γνάθῳ.

———

ἐκαρτέρησ' ὦ φίλτατε) famosum illud Demosthenis *ἀντίθετον* significatum videretur, paulo post annum 342 doctam recte, ni fallor, Wagnerus Diss. p. 28. 60 coniecit; in Aristophontis fragmento memorato Tithymallus una cum Philippide ridetur, quem etiam in Platone eiusdem poetae propter maciem corporis illusum vidimus (supra p. 32); accedit, quod Alexidis *Ὀδυσσέα ὑφαίνοντα* et Timoclis *Κένταυρον ἢ Δεξαμενόν* priorum temporum fabulas fuisse ipsi tituli docent mediae comoediae indolem prae se ferentes. Etiam Axionici Tyrrhenum potius mediae comoediae aetati ascripserim quamvis extremae; nam in fr. 2 Ko. Gryllion nominatur, qui *εἷς τῶν Ἀρεοπαγιτῶν* parasitus Phrynae et Menandri satrapae fuisse dicitur (Athen. VI 245 a; XIII 591 d). Quod si verum est, eo potius tempore, quo Athenis nondum discesserat, eum in comoedia nominatum credam: Menander autem iam anno 331 ab Alexandro Lydiae satrapa factus est (Arr. Anab. III 6, 7; cf. VII 23, 1. Niese I 88). Qua causa adductus lustro fere 335—30 fabulam scriptam conicio. Fortasse Pythodelus, cuius in fr. 1 Ko. mentio fit, archon est anni 336/5 (Kirchn. s. nr. 12 379). [Ribbeck Kolax p. 81 sq. cum dicit: „Gryllion war nicht mehr unter den Lebenden, als Axionikos seine Komödie *Τυρρηνός* schrieb“, errare videtur, quoniam fr. 2, 3 vertendum est „quod Gryllion facere solet“, non „solebat“] Quae cum ita sint, neque Antiphanis neque Axionici fabulam *Τυρρηνός* inscriptam ab illo Polystrato denominatam esse credo. [Iam Kaibelius apud P W II 2628 de Meineki coniectura dubitaverat, quae, si recte Polystratum „Tyrrhenum“ eundem statuit esse Wilhelmius Oesterr. Jahreshefte V 136 (cf. Kirchn. s. nr. 12 071 a, II 480) atque archontem medii saec. III, prorsus stare nequit.]

ἐν τούτοις ἐδήλωσεν ὁ κωμικὸς διότι καὶ τὸ δρᾶμα Κεραυνὸν ἀπ' αὐτοῦ ἐπιγέγραφε (cf. Mein. h. cr. 438).

Sed nisi talia ab ipsis scriptoribus antiquis memoriae produntur, nosmet de comoediis similiter inscriptis certum iudicium proferre non posse consentaneum est. Quare nil aliud restat, quam ut eas unum in locum collatas hic deinceps ut solemus enumeremus. Atque primum disseramus de quattuor titulis nominum, quibus conformantur, formae grammaticae similitudine mirifice inter se cognatis, Ἀγκυλίωνι [191]) dico Βουταλίωνι Βοτρυλίωνι Καμπυλίωνι.

Eubuli et Alexidis Ἀγκυλίων.

Ἀγκυλίων laudatur Eubuli et Alexidis (Mein. h. cr. 359. 381; Ko. II 164 sq. 297), neutrius autem fabulae fragmenta de tituli ratione quicquam docent; in Eubuli fr. 1. 2. 3 Ko. δεκάτη infantis videtur celebrari; in uno eoque solo, quod e fabula Alexidea superest, fragmento Plato commemoratur (apud Diog. Laert. III 27) ita, ut ante Platonis mortem (348/7) fabulam doctam esse iure opinor possit concludi: quare cum etiam Eubulo vivo eam scriptam esse verisimile sit, huius comoediam denuo in scaenam demisisse Alexidem poetam natu minorem quominus coniciamus, impedimur, et affirmare licet duos poetas fabulas diversas minime vulgari titulo Ἀγκυλίων appellasse. [192]) Quod nomen, quantum ex Kirchneri Prosopographia Attica cognoscitur, Athenis non videtur in usu fuisse: tamen ἀρτόπωλις illa a Philocleone ebrio male mulcata (Arist. Vesp. 1397 sqq.) filiam Ancylionis

---

[191]) Hunc titulum ne ab ceteris secernere cogerer, hoc loco posui, quamquam nomen etiam in vita usurpatum esse uno saltem exemplo evincitur.

[192]) Nulla causa est, cur unam eandemque comoediam fuisse suspicemur falso sive Eubulo sive Alexidi attributam: quia ter Eubuli *Ἀγκυλίων* laudatur (Athen. IX 369 de; XIV 646 b; XV 668 d), semel Alexidis (Diog. Laert. III 27), Alexidi fabula esset abiudicanda; at quattuor aliis locis Alexis Platonem commemorat (fr. 147. 152. 158. 180 Ko.), Eubulus nusquam.

se esse pronuntiat et Sostratae.[193]) Aliud nominis exemplum non novi nisi unum lapidi Anaphae in insula reperto incisum I G XII 3, nr. 255 Ἀγκυλίων τόνδε τὸν θῶκόν ἐποίη[σα].[194]) Sed paulum lucis afferre videtur titulo schol. Vesp. 1178 (iam a Meinekio allatum): Philocleo enim a filio interrogatus, num λόγους sciret σεμνοὺς λέγειν in convivio ἀνδρῶν παρόντων πολυμαθῶν καὶ δεξιῶν, respondet: πολλοὺς πάνυ. πρῶτον μὲν ὡς ἡ Λάμι' ἁλοῦσ' ἐπέρδετο, | ἔπειτα δ' ὡς ὁ Καρδοπίων τὴν μητέρα —, quod interpellans Bdelycleo: μή μοί γε μύθους, ἀλλὰ τῶν ἀνθρωπίνων κτλ. Ad „Καρδοπίων" autem scholiasta annotavit: καὶ τοῦτο ἀρχὴ μύθου. ὁ Καρδοπίων ζητητέος· οὐδαμοῦ κωμῳδεῖται. ἀλλ' Ἀγκυλίων, ἐπὶ τῷ τὴν μητέρα ⟨κακῶς suppl. Portus⟩ διατιθέναι. λείπει δὲ ἔτυψεν. Quod ad istas Eubuli Alexidisque fabulas cognomines fortasse pertinet. Videtur igitur proverbialiter nomen Ἀγκυλίων filio pessime morato inditum esse, quales saepius in scaenam comicam inducebantur paululum nonnumquam inter se differentes: reminiscaris τοῦ ἀκολάστου υἱοῦ in Aristophanis Δαιταλεῦσιν,[195]) Phidippidae in Nubibus, Lesbonici in Plauti Trinummo (vel Philemonis Θησαυρῷ), Aeschini in Terenti (vel potius Menandri) Adelphis, aliorum.[196]) Proverbialis nominis usus comprobatur etiam Milleri (Mélanges p. 374) proverbio „ρμε' Ἀκυλίωνος λεγομένην", quod Meinek. Herm. III (1869) p. 456 correxit in Ἀγκυλίωνος Eubuli Alexidisque comoediis collatis.

Antiphanis et Xenarchi Βουταλίων.

Fabulam Βουταλίων nominatam novimus Antiphanis (Mein. h. cr. 331 sq.; Ko. II 38 sq. 12 sqq.): nomen in vitae

---

[193]) Cf. Van de Sande Bakhuyzen De Parodia in comoediis Aristophanis (Trajecti ad Rhenum 1877) p. 64 de Arist. l. l. „*Θυγατέρος* forma est tragica. Ridicule mulier quae panes venditat loquitur ut filia regia, quae claris parentibus glorietur. Cf. verba Pheretis, Alc. 677." Sed praeterea iocus in eo videtur positus esse, quod *Ἀγκυλίων* sane non nomen regium erat.

[194]) Ibi Hillerus de Gaertringen annotavit: „Nomen dispexit Wilamowitzius; litterarum enim vestigia non obstant, quominus legas *Ἀλκυτίων*, nomen vix probum."

[195]) Ko. I 438 sqq.; inprimis v. fr. 198. 216. 221. Arist. Nub. 529.

[196]) Cf. Dietze Diss. p. 49.

usu, quod sciam, non adhibitum in proverbio fuisse videtur ad stupidos fatuosque homines designandos. quod docet schol. Arist. Ran. 990 Δίδυμος ὅτι Μαμμάκυθος καὶ Μελητίδης ἐπὶ μωρίᾳ διεβέβληντο, καθάπερ καὶ ὁ Βουταλίων καὶ ὁ Κόροιβος:[197]) „κεχηνότες Μαμμάκυθοι Μελιτίδαι" habes Arist. Ran. l. l.: tota fabula exstabat Μαμμάκυθος inscripta, cuius de scriptore (Platone aut Metagene aut Aristagora) veteres dubitabant (cf. Mein. h. cr. 218 sqq.; Ko. I 622. 704 sqq. 710 sq.): Melitidem in proverbio exhibet Apostol. 5, 27 = adesp. com. fr. 657 (Ko. III 525). Quae cum ita sint, ne de nominis Βουταλίων quidem vi est, quod dubitemus; accedit Βουταλίωνος Antiphaneae cum eiusdem poetae Ἀγροίκῳ quaedam cognatio, quam testatur Athen. VIII 358 d: ἀλλὰ μὴν οὐδὲ οὕτως εἰμὶ φίλιχθυς ὡς ὁ παρὰ τῷ αὐτῷ ποιητῇ (sc. Ἀντιφάνει) ἐν Βουταλίωνι, ὅπερ δρᾶμα τῶν Ἀγροίκων ἐστὶν [ἑνὸς] διασκευή:[198]) homines rusticos autem propter ingenii quandam tarditatem atque ἀναισθησίαν illusos esse omnibus sat notum est. Ceterum ex

---

[197]) Cf. Photius Reitzenst. p. 100, 24 Ἀμφιετίδαι · οἱ μωροί, ἀπὸ Ἀμφιετίδου τινὸς μωροῦ. Μένανδρος Ὑποβολιμαίῳ. Habes Amphietidem apud Kirchn. s. nr. 759 Ἀ. Θεοπόμπου Παιονίδης, I G II 5, 767 b 2 ἐπιστάτης Ἐλευσινόθεν a. 333/2. — Cet. cf. Crusius Verhandl. d. 40. Philol.-Vers. 1890, p. 39 sq.

[198]) Ἑνὸς illud si recte scribitur, Antiphanem diversas comoedias eodem titulo Ἄγροικος insignitas scripsisse concludendum est, quod Mein. h. cr. 332 suo iure non verisimile esse iudicavit. Idem autem propterea, quod statim Athenaeus nonnullos versus titulo ἐν τῷ Ἀγροίκῳ (exspectatur ἐν τοῖς Ἀγροίκοις) apposito affert, ἑνὸς voculam delere non ausus rem in medio reliquit. Sed cum aliis quoque locis huius fabulae titulum laudans modo singulari, modo plurali numero utatur (ἐν Ἀγροίκῳ IX 392 e. 396 b. XIII 567 d; ἐν Ἀγροίκοις X 445 f [sic etiam Photius et Suid. s. v. ῥαγδαίους = fr. 7 Ko.]; ἐν Ἀγροικίσιν XV 692 f), cum Casaubono Lehrsio (de Aristarch. stud. Hom.² p. 336) Kaibelio (ed. Athen.) ἑνός delendum esse censeo. Tamen de iteratae fabulae titulo non constat: loco enim illo Athenaei, quem supra exscripsimus, collato quivis putabit duplicem titulum Ἄγροικος ἢ Βουταλίων, ubicunque occurrit, ad fabulae διασκευήν pertinere; sed Athen. VII 313 b ex Ἀγροίκῳ ἢ Βουταλίωνι versus aliquot affert, quos ipse VIII 358 f expressis verbis priori fabulae editioni (Ἀγροίκῳ) attribuit. Fortasse illo loco ἢ Βουταλίωνι ut glossema delendum. Alter quo duplex titulus legitur locus ad utramque editionem referri potest

illius comoediae, quae Μαμμάκυθος audiebat (v. supra), commemoratione discimus Antiphanem non primum talis hominis bardi stupiditate spectatores delectasse: nam qui eius laudantur scriptores, ante Antiphanem floruerunt.

Quod Meinekius opinatus est (F C G III 37) Φιλούμενον illum fr. 68, 4 Ko., qui minores tantum pisces se adamare profitetur maiores ἀνθρωποφάγους esse ratus, ipsum ἄγροικον - Βουταλίωνα esse, a quo fabula indicem acceperit, si verum est, poeta Βουταλίων nomen pro cognomini ioculari adhibuisse existimandus est; quod fieri potuisse sane nequeo negare, quamquam, qua causa adductus poeta rustico suo nomen Φιλούμενος aptum putaverit, latet.[199])

Inter Xenarchi poetae comici, quas Suid. s. n. enumerat, fabulas Βουκαλίων titulum legimus, quem in Βουταλίων a Reinesio mutatum acceperunt Mein. h. cr. 434 et Ko. II 467, rectius, si quid video, quam Βουκολίων, quod Casaubonum secutus in Athenaei textum (II 63 f) recepit Kaibelius.[200]) Apud Xenarchum quod eadem ista atque apud Antiphanem invenitur fabulae inscriptio, non mirabitur, quisquis alios illius titulos perlustraverit: Σκύθαι (Ko. II 472), cf. Antiphanis Σκύθαι ἢ Ταῦροι (II 96 sq.); Στρατιώτης (II 473), cf. Antiphanis et Alexidis Στρατιώτης (II 97. 373; supra adn. 148); Ὕπνος (II 473), cf. Antiphanis vel Alexidis fabulam cognominem (II 104. 384 sqq.):[201]) quae cum ita sint, fieri potuisse autumo, ut Xenarchus Antiphanis Βουταλίωνα aut imitaretur aut in suum verteret usum. Itaque versus quos e Πορφύρᾳ servavit Athen. VI 225 c (Ko. II 470)

---

[199]) Traditum est l. l. *Φιλούμενον* (vocat.), quod in *Φιλούμενε* mutavit Mein., recte, ut videtur, nam cf. v. 12 *ὦ φίλτατε*, v. 15 *οὗτος*.

[200]) Eo loco huius dramatis mentionem fuisse habitam e Suida iure collegerat; cf. nunc Wagner Diss. p. 39. 51. — Bucolion ille Il. Z 22 sqq. a raris posterioris aetatis poetis commemoratur, cf. Rohde Griech. Rom.[2] 117 adn. 1; Rosch. I 832; P W III 1012.

[201]) Etiam fabula *Δίδυμοι* inscripta (Xenarchi Ko. II 468) laudatur Antiphanis (cf. II 43 sqq.), sed ut videtur iunioris (cf. Wilh. Urk. p. 57); praeterea Anaxandridis Aristophontis Euphronis.

οἱ μὲν ποιηταὶ λῆρός εἰσιν· οὐδὲ ἓν
καινὸν γὰρ εὑρίσκουσιν, ἀλλὰ μεταφέρει
ἕκαστος αὐτῶν ταῦτ' ἄνω τε καὶ κάτω

Timocli sane ascribere malim quam Xenarcho huic imitatori.[202])

Anaxilae Βοτρυλίων.

Unius poetae laudatur, quae Βοτρυλίων audiebat, fabula, Anaxilae (Mein. h. cr. 407 sq.; Ko. II 265), cuius exigua, quae supersunt, fragmenta tria non plus quam titulus ipse de eius argumentique ratione docent: nomen enim a βότρυς vel Βότρυς ductum (cf. Mein. l. l.; Fick-Bechtel p. 27 sq. 325) aliunde mihi non cognitum quid vel quem significet plane nescio.

Ararotis sive Eubuli Καμπυλίων.

Neque melius res procedit de Ararotis sive Eubuli (dubitabant enim, utrius fabula esset) Καμπυλίωνι (Mein. h. cr. 345. 363; Ko. II 217. 178 sqq.), de quo titulo quod profert Ko. „cum καμπύλη sit rusticorum, voce καμπυλίων hominem agrestem significari arbitror“ incertum est. Comoediae non defuisse amores, meretricem, anum bibacem, convivium lautisimum e fragmentis licet colligere (Eubul. fr. 41—45; Arar. fr. 8).

Anaxandridis Σατυρίας.

Anaxandridis fabula Σατυρίας (Mein. h. cr. 373; Ko. II 155), e qua unum verbum ὠτάρια servavit Athenaeus (III 95 c = fr. 43 Ko.), ab homine sive forma sive natura atque ingenio satyro simili videtur denominata esse. Σάτυρος nomen cum usitatum sit nec Σατυρίων in Attica Prosopographia

---

[202]) Utrius esset fabula, dubitabatur, v. Ko. II 470 sq. (de sententia cf. Lysipp. fr. 4 [Ko. I 701]). — *Πένταθλος* titulus, qui adhuc apud solum Xenarchum exstabat, nunc Eubuli innotuit e Photio Reitzensteini p. 100, 16—18; cf. quae similitudo indercedit inter Xenarchi fr. 4, 6 (Ko. II 469) et Eubuli fr. 67, 4 (II 187). — *Πρίαπον* titulum solus Xenarchus praebet (Ko. II 472), sed cf. Eubuli *Ὀρθάνην* (II 190 sqq.), Timoclis *Κονίσαλον* (II 461).

(Kirchn. II 249) careat exemplis, Σατυρίας neque Athenis neque alibi usquam inveni usurpatum.[203]) Praeterea Saturio titulus Plauti (Leo II p. 540 sq.) potest conferri.

Aristophontis Βαβίας.

Babias Aristophontis (Mein. h. cr. 410 „viri nomen esse videtur"; Ko. II 276) semel laudatur (a Stobaeo 96,19 = fr. 1 Ko.). Nomen aliunde mihi non cognitum pro cognomine iocoso habuerim quamvis non explicato. Βάβης servus est in Pisand. epigr. A P VII 304, cf. Poll. V 47, Βαβύλας nomen apud Procop. ep. 151 (p. 593 Herch.).

Antiphanis Ὄβριμος.

Ὄβριμον titulum Antiphaneum (Mein. h. cr. 327; Ko. II 80) uno, quod laudat Pollux (X 21 = fr. 171 Ko.), fragmento notum actutum Ἄρεως ὀβρίμου (cf. Il. E 845: N 444; 521; O 112; Π 613 saep.) memoriam evocare existimo; atque ab homine Martis simili vel oratore (Demosthene? cf. Timocl. fr. 12 [Ko. II 457] Ἄρη βλέπων) vel milite vel alio homine terribili (cf. eiusdem poetae titulum Γόργυθος supra p. 55) fabulam indicem invenisse crediderim.

Alexidis Ἀσκληπιοκλείδης.

Asclepioclidis Alexideae (Mein. h. cr. 397; Ko. II 306) et Athenaeus et Pollux mentionem habent, sed eundem, ut videtur, locum spectantes (fr. 24 Ko.). Forma nominis, quod nusquam alibi repperi, apte comparari potest cum Διοκλῆς - Διοκλείδης (Kirchn. I 267) Διονυσοκλῆς (ib. 287) Ἑρμοκλῆς (ib. 338) Ἀθηνοκλῆς (ib. 21) Πυθοκλῆς (ib. II 241).[204]) Atque opinor Alexidem aut medicum sic appellasse aut hominem insana quadam ratione Aesculapii venerationi deditum.[205]) Cum in

[203]) Cet. cf. Fick-Bechtel p. 305; Bechtel Spitznamen (v. adn. 19) p. 19 sq. 60.

[204]) Cf. Fick-Bechtel p. 165 sqq.

[205]) Antiphanes et Philetaerus fabulas scripserunt *Ἀσκληπιός* nominatas Ko. II 28 sq. 230.

unico illo, quod restat, fragmento (est coqui cuiusdam iactatio Athen. IV 169 d) similibus versibus utatur poeta atque in fabula Κράτεια ἢ Φαρμακοπώλης (fr. 110, 21 sqq. Ko. = Athen. III 107 d), quae posterioris poetae aetatis videtur esse (a. 306, cf. infra hunc tit.), fortasse etiam eam, de qua agimus, comoediam eisdem temporibus assignare licet.

Heniochi Τροχίλος.

Porro Trochilus Heniochi (Mein. h. cr. 421; Ko. II 432 sq.) commemoranda est, quem titulum optime Meinekius e servi nomine repetendum putat.[206]) Ab avi illa cognomini fabulam indicem accepisse non credo.[207])

Philemonis Μετιὼν ἢ Ζωμίον.

Philemonis tituli Μετιὼν ἢ Ζωμίον (Ko. II 488 sq.) posteriorem partem iam Meinekius, sine dubio recte, pro cognomine parasiti habuit (Menand. et Philem. rell. p. 369 sq.) collatis Anaxandr. fr. 34, 5 (Ko. II 148) et Aristophont. fr. 4, 3 (Ko. II 277). Cf. nomina Βορβορόζωμος Alciphr. III 42 (Schep.), Κνισόζωμος id. III 3. — De titulo duplici v. Bender Diss. p. 53 sq.

Diphili Αἱρησιτείχης.

Ultimo denique loco ponimus Diphili Αἱρησιτείχην (Mein. h. cr. 451 sq.; Ko. II 542 sq.). Poetam militem gloriosum sic appellasse ipsum nomen docet[208]) et eo confirmatur, quod altera fabulae editio titulum Εὐνοῦχος ἢ Στρατιώτης habuisse fertur.[209]) Ceterum nomen videtur bene formatum, cf. Αἱρήσιππος

---

[206]) Nomen deest apud Fick-Bechtel p. 318.

[207]) Cf. Pape-Benseler Lex. d. gr. Eigenn. s. n. — In Arist. Avibus (v. 60 sqq.) servum upupae *τροχίλον* esse notum est (v. 70 *ὄρνις ἔγωγε δοῦλος*); cf. Steiger Diss. p. 17.

[208]) Cf. Isocr. Ep. 2, 21 *πολὺ γὰρ κάλλιόν ἐστι τὰς εὐνοίας τὰς τῶν πόλεων αἱρεῖν ἢ τὰ τείχη.* Xen. Hell. IV 5, 5 *ἡ — μόρα ἅμα καταβαίνουσα ἀπὸ τῶν ἄκρων Οἰνόην τὸ ἐντετειχισμένον τεῖχος αἱρεῖ.*

[209]) Athen. XI 496 f *Δίφιλος Αἱρησιτείχει· τὸ δὲ δρᾶμα τοῦτο Καλλίμαχος ἐπιγράφει Εὐνοῦχος*, et paulo infra *Δίφιλος ἐν Εὐνούχῳ ἢ Στρατιώτῃ. ἔστι δὲ τὸ δρᾶμα διασκευὴ τοῦ Αἱρησιτείχους.*

ὁ Σπαρτιάτης Agatharch. apud Athen. VI 251 f (Fick-Bechtel p. 49)[210]) et Θεοτείχης Εὐπυρίδης I G II 469,86 a. 119/8 (Fick-Bechtel p. 262. 144). Tamen nescio, hoc ipso nomine poeta induxerit militem an ioci causa cognomine Αἰρησιτείχης ornarit proprie aliter appellatum; illud si verum est, nil discrepat hic titulus a Menandreo Θρασυλέων, nisi quod huius exempla in usu vitae inveniuntur (cf. supra p. 71), illius, quantum ego quidem scio, nullum.

Medium quendam locum inter eas fabulas, quas in homines aliquos poetis aequales scriptas esse ipsis titulis ab illorum propriis nominibus desumptis indicatur, et eas, quibus nomina personis fictis a se imposita auctores inscribebant ita, ut vel nomine denotarent, qua indole essent homines illi suis ingeniis procreati, medium dico locum eae tenent comoediae, quas ornare placuit poetae nomine alicuius viri pridem mortui, sed ita etiam posterioris aetatis hominibus natura, munere quo fungebatur, vitiis noti, ut eius nomine homini ficto indito quasi nota quadam inusta huius cum illo morum atque rationis similitudo significaretur: — si modo tales fuere comoediae. Meinekius enim h. cr. 275 haec profert: „Alias porro .... ab dudum defunctis (hominibus) vocatas esse suspicor, ex quo genere sunt Theramenes Lampon Timon, fortasse etiam Androcles, quorum nominibus ita poetas

---

[210]) Et in *Αἰρήσιππος* nomine et in *Αἰρησιτείχης* -*η*- traditum est et videtur stare posse; cf. nomina *Αἰνήσιππος* I G XII 3, p. 25 (nr. 109. 110), p. 149 (nr. 697) saepius; I G II 3253 *Αἰνησάρετος Ὀρχομένιος*; praeterea *Αἰνησίτιμος Αἰνησίλαος Αἰνησιφίλη*, cf. Fick-Bechtel p. 48; *Αἰνησίδαμος* ter in versu ap. Pind. (O 2, 51; 3, 9; I. 2, 28); — *Εὑρήσιππος* Fick-Bechtel p. 120; in aliis vocibus e radice verbi *εὑρεῖν* ductis modo -*η*-, modo -*ε*- invenitur: *εὑρησιεπής* Arist. Nub. 447; Pind. Ol. 9, 80 (ibi cod. *B* -*η*-, codd. A C D -*ε*-) in versu; *εὑρεσίτεχνος* Orph. Hymn. 31, 14 in versu; *εὑρησιλογέω* Athen. V 193 d: *εὑρεσιλογέω* Philo II 113, 24 Cohn-Wendl.; *εὑρησιλογία* Plut. Mor. 1033 B. 1070 F: *εὑρεσιλογία* Philo III 216, 18 (nonn. codd. -*η*-); 306, 19 C.-W; Plut. Mor. 682 B (trad.); *εὑρεσίκακος* Schol. Eur. Med. 407. Cf. Lobeck ad Phryn. p. 447. — De accentu nominis *Αἰρησιτείχης* cf. Herodian. I 81, 28 sqq. II 99, 31 Lentz.

usos esse puto, ut in Theramene[211]) Atheniensium levitatem et inconstantiam, in Timone hominum lucifugorum austeritatem et tristitiam, in Androcle turbulentorum demagogorum furores exagitatos fuisse existimem.“ Etenim nonnullae aliam interpretationem non videntur admittere.

Antiphanis Λάμπων.

His annumero Antiphanis Lamponem (Mein. h. cr. 313 Ko. II 68), quia et nomen perrarum erat Athenis[212]) et vates ille non exiguas quinto saeculo egerat partes, ut ab eius irrisione veteres poetae non temperarent.[213]) Qui quando mortuus sit, nullo nobis arguitur testimonio veterum: falluntur enim quos iam refutat schol. Arist. Av. 521 ἔζη δὲ (sc. Λάμπων ὁ χρησμολόγος) ἐπὶ τῆς τῶν Ὀρνίϑων διδασκαλίας, οὐχ, ὥς τινες, ἐτεϑνήκει. πολλῷ γὰρ ὕστερον Κρατῖνος ἐν Νεμέσει οἶδεν αὐτὸν ζῶντα. (= fr. 117, Ko. I 51); quamquam de Cratini Νεμέσεως tempore scholiasta videtur errare,[214]) post a. 414 Lamponem in vita fuisse ex eo certissime evincitur, quod Lysippus in Bacchis eius ὀψοφαγίαν illusit auctore Athenaeo VIII 344 e = fr. 6 (Ko. I 702): hanc autem fabulam constat actam esse post annum 410.[215]) Hac re nisus dixerit forsitan aliquis fieri potuisse, ut ipsius Antiphanis aetate Lampon nondum e vita decessisset. Qui cum ante Thurios conditos (a. 443)

---

[211]) Hac de fabula infra pauca dicam.

[212]) Quattuor ap. Kirchn. II 4; vates s. nr. 8996. — Cf. I G II 488. 1418. Neque postea nomen usitatius fuisse videtur.

[213]) Cf. Cratin. fr. 57/8 (Ko. I 30); 62 (31); 117 (51); 315 (104); Eupol. fr. 297 (Ko. I 338); Arist. Nub. 332; Pac. 1084 c. schol.; Av. 521. 988; Call. fr. 14 (Ko. I 697); Lysipp. fr. 6 (I 702). — Cf. Bergk rell. 46 sqq.

[214]) Nisi forte cum Zielinskio (Rh. Mus. XXXIX [1884] 302 et adn. 3) mavis credere post a. 415 iterum Nemesin docuisse Cratinum; cf. de Wilamow. Obs. crit. p. 11; Zelle Diss. (v. adn. 28) p. 12 adn. 9. — Teste Plutarcho Per. 3 Periclis deformatum caput irriserat Cratinus in *Νεμέσει* fr. 111 Ko.

[215]) Cf. I G XIV 1097: *Βάκχ*]*αις*, suppletum a Bergkio, sine dubio recte, cf. Koerte Rh. Mus. LX (1905) 425 sqq. 438; Wilh. Urk. p. 195 sqq. 256.

in memoria rerum Atheniensium non commemoretur,[216] ut ante annum fere 470 eum natum putemus, nullam rem cogere atque ex hac ratiocinatione Lamponem evadere eo, quo Antiphanes fabulas docere coepit, tempore (Ol. 98 = 388/5, Anonym. π. κωμ. Kaib. C G F I 9) senem medium quendam inter octogesimum et nonagesimum aetatis annum agentem. Huc accedere, quod Lysias in oratione III (quae post annum 394 habita est, cf. § 45; Blass Att. Bereds.² I 578) domus Λάμπωνος mentionem faciat (§ 17): qui consideret, quam rarum hoc nomen fuerit Atheniensibus (cf. adn. 212), et nulla re adiecta merum nomen a Lysia commemorari ita, ut non ignotus ille Lampon auditoribus fuisse videatur, eum fortasse adduci ad coniciendum, apud Lysiam quoque vatem notissimum esse intellegendum. Sed concedendum est hanc coniecturam non multum habere, quo commendetur, quandoquidem vix est credibile veteranum Pericleae aetatis splendidae post longum comicorum silentium repente adulescentem quarti saeculi poetam novum invenisse irrisorem. Quare hac de comoedia potius Meineki sententiae assentiendum est.

Antiphanis Τίμων.

Porro huc pertinet Timon Antiphanis (Mein. h. cr. 327 sq.; Ko. II 100), quam fabulam a misanthropo celeberrimo Meinekio nominatam videri supra memoravimus (p. 81 sq.). Sed hanc insuper protulit coniecturam vir egregius l. l.: „Ceterum haud inepte .. Antiphanis fabulam a Luciano in Timone expressam esse coniicias“ nulla accuratiore argumentatione addita. Post Meinekium autem saepius viri docti quaestionem de Timone attigerunt, qui a Shakespeario tragoedia celebratus plurium solito oculos in se convertebat. E quibus nomino[217]

[216]) Cf. Diod. XII 10; Plut. Mor. 812 D; Schol. Arist. Nub. 332. — Busolt Griech. Gesch. III 1, 476. 515 sq. 529 sq.

[217]) Commentationem Binderi Über Timon den Misanthropen (Gymn.-Progr. Ulm 1856) non potui adire; sed ex Engeri recensione (Fleck. Jahrb. 77 [1858] 556 sqq.) cognovi illum ne commemorare quidem Antiphanis comoediam.

Fritzschium (in Prolegg. edit. Luc. vol. III, 1 [1874] p. XIX sqq.), E. Piccolominium (Sulla leggenda di Timone il misantropo, Studi di filol. Greca Vol. I [1882] p. 247 sqq.), Rudolphum Hirzel (Der Dialog II [1895] p. 298 sqq.), Fridericum Leo (Griech.-röm. Biogr. [1901] p. 114 sqq.), Rudolphum Helm (Lucian u. Menipp [1906] p. 185 sqq.), Franciscum Bertram (Die Timonlegende, Diss. Heidelb. 1906.) Testimonia de misanthropo congesta inveniuntur apud Kirchn. s. nr. 13845. Duae res nobis sunt si non extricandae, attamen tentandae: quaeritur enim, et Antiphaneae comoediae num quid fuerit cum misanthropo, et dialogo Luciani num quid cum Antiphanis fabula. Sed priusquam, quae ipse profiteamur, proferimus, virorum doctorum sententias praemittere decet.

Atque Fritzschius cum Meinekio drama Antiphaneum a Timone hominum osore nomen accepisse putat (l. l. p. XXXIV), „quam fabulam conlatis titulis Mnesimachi et Menandri ‚Δύσκολος' ego conjicio non injuria aliter inscribi potuisse ‚Δύσκολος γαμῶν' quum nuptiali coenae hic versus testimonio sit ap. Athen. VII p. 309, d: Ἀντιφάνης δ' ἐν Τίμωνι — ‚ἥκω πολυτελῶς ἀγοράσας εἰς τοὺς γάμους'. ita juvenis prisco Timoni simillimi tristities videtur derisa fuisse.“ Idem ab Antiphane pendere Lucianum negat, quippe qui exiguam mediae comoediae cognitionem prae se ferat: semel Alexidem ab eo laudari, numquam Antiphanem vel Eubulum.[218]

Piccolominius autem sibi persuasit, quam Antiphanes praebuisset Timonis descriptionem — nam ad eum comoediam referre non dubitavit — ut tempore ita ratione mediam quandam fuisse antiquae comoediae inter et Luciani. Odii hominum, quo Timon arsisset, causam e miseria repetendam esse urbis Athenarum aetate belli Peloponnesiaci, e nequitia

[218]) Cf. Schulze Quae ratio intercedat inter Lucianum et comicos Graecorum poetas (Diss. Berol. 1883) p. 6. — Aliter Kock Rh. Mus. XLIII (1888) 48.

civium, e tota rei publicae ruina, nequaquam natam ex iniuriarum dolore, quas in vita privata accepisset. Neque aliter antiquos comicos depinxisse Timonem. Sed quod ante Lucianum iam Antonius triumvir Timonem pro homine habuisset, qui amicorum, quos beneficiis cumularat, ingratos animos expertus in solitudinem se recepisset (Plut. Ant. c. 69 extr. 70), id ad commutationem, qua Antiphanes fabulam Timonis novasset, revocandum esse. Hunc enim e Timone Atheniensi saeculi quinti typum quem vocamus misanthropi fecisse omnibus vinculis, quibus ille cum sua aetate suaque patria coniunctus erat, solutis. Sed ne Lucianum quidem a novis rebus abstinuisse; nam eum solum thesauro reperto subita fortunae vice Timonem donasse, ne eius falsi amici, quibuscum antea luxuria rem familiarem dissipasset, poenam meritam effugerent: in eo enim posuisse cardinem festivi dialogi, ut parasitos oratores philosophos consuetudine sua luderet.[219])

Contra Hirzelium si sequeris, in vetere comoedia exemplar Lucianei dialogi quaerere debebis; hoc discendum esse e scaena illa ridicula in fine posita, in qua verberibus Timon adulatores exturbat, e dis promiscue cum hominibus inductis, e nominibus illis, quae hic illic commemorentur (velut Periclis Anaxagorae [c. 10], Hipponici Calliae [c. 24], Hyperboli Cleonis [c. 30]). Sed certam quandam fabulam vel poetam, velut Platonem, in singulis Lucianum secutum esse, qua hic fuisset propria arte proprioque iudicio scriptor, non ausus est Hirzelius affirmare.[220])

Maxime a ceteris dissentit Fridericus Leo: praecise enim negat Lucianum a comoedia pendere („nichts von Komoedie" p. 116): „die Biographie [qualem Neanthes pepererat] liegt

---

[219]) Oblocutus est Piccolominio Kock l. l. p. 49 sq.

[220]) Secutus est Hirzelium nuperrime Ph. E. Legrand Sur le Timon de Lucien (Revue des études anciennes IX 132 sqq. = Annales de la faculté des Lettres de Bordeaux IV série), cuius disputatione mihi ipsi non licuit uti; summam eius Petrus VonderMuehll Gottingensis benigne mecum communicavit.

zu Grunde, mit verschiedenen Weiterbildungen." Eum si audis, de vero Timone omnino nihil scimus, quia Aristophanes locis illis (Av. 1549; Lys. 808 sqq.) non aequalem derideat.[221]) Et de Timone Antiphanea iudicium cohibere maluit: „Möglich, daß Antiphanes' Τίμων sich auf ihn (sc. misanthropum) bezog, obwohl aus dem Titel gar nichts folgt" (p. 116 adn. 4).[222])

Sed ad Meineki coniecturam nuper rediit Rudolphus Helm; cui certissimum videtur Lucianum Timonem scribentem comoediam aliquam imitatum esse; et quoniam Antiphanis titulus Τίμων nobis traditus sit, nil videt causae, cur non istam comoediam pro exemplari sophistae habeamus, quamquam fieri potuisse concedit, ut in alterius fabulae actionem Timonis personam Syrus inseruisset. Quem solam vitam Timonis ante oculos habuisse (quae sententia est Leonis) propterea non credit Helmius, quod mirum esset, si festivas illas narratiunculas, quas a Neanthe mutuatus Plutarchus (Anton. 70) prodit, saturae scriptor omnes omisisset. Repentinam illam rerum mutationem, quae thesauro effosso contigit Timoni, non inventioni sophistae deberi, quandoquidem „modo egens, repente dives" persona fuerit mimi propria, et sine illa peripetia, quae vocatur, comoedia Antiphanea vix potuerit stare.

Qui novissimus de rebus Timonis disseruit, Franciscus Bertram, quin cum alii mediae comoediae scriptores tum Antiphanes in illa, de qua agimus, fabula mores Timoneos expresserint, nec dubitat (p. 14. 20) nec Lucianum Antiphanis fuisse imitatorem contendit (p. 67. 68): illum aliis uti potuisse comoediis, in quibus persona misanthropi conexa fuisset cum

---

[221]) „Von Timon bleibt nicht viel mehr als ein zeitloser Name; der lebendige lebte in der Biographie, deren Kind er war" (p. 117).

[222]) Hoc certe concedendum est viro docto (cf. p. 116 adn. 4) Lysiae orationem *πρὸς Τίμωνα*, quam s. v. *ἐσχηματισμένος* laudat Suidas (cf. Sauppe O A II 205) prorsus seiungendam esse ab isto de quo agimus Timone. Aliter iudicarunt Bergkius rell. p. 371 adn., Sauppius l. l., Fritzschius l. l. p. XXIII sq., Piccolominius l. l.

illa narratiuncula, qua egens quidam homuncio thesauro reperto repente dives factus narrabatur.[223])

Ecce peritorum sententiae! Quamnam sequamur? Atque primum numquam obliviscamur necesse est unicum illud, quod e dramate Antiphaneo superest, fragmentum nulli loco dialogi convenire[224]): servolus dicit copiose ad nuptias in foro se coemisse et dis et hominibus, indignatus, quod nil avarus salsamentarius gratis addiderit. Nuptiarum apparandarum in dialogo Luciani nec mentio fit nec locus est in conexu rerum Timonis, qualem nos novimus, nisi ante paupertatem et misanthropiam illius, ut depingeretur unus ex illis festis diebus, quos celebrantes amici atque parasiti Timonem compilabant.[225]) Antiphanes igitur vitam, quam degit Timon antequam pauper factus est, in comoediam suam inclusisse putandus esset, Lucianus his omnibus omissis

[223]) Non satis intellego, quid velit Kockius l. l. (cf. adn. 218). Qui postquam statuit, qua ratione singulae partes dialogi Lucianei se exciperent, mirifice comoediam sapere neque difficile futurum fuisse veteribus in comica scaena dialogum actitare, sic pergit: „Wenn sonach die Möglichkeit der Übertragung des ganzen Inhalts aus einer Komödie, sei es nun Antiphanes Timon oder eine andere, zugegeben werden kann: daß sie wirklich geschehen sei, ist nicht nur nicht zu beweisen, sondern in hohem Grade unwahrscheinlich. Bau und Gliederung sehen durchaus nach der Erfindung eines Komikers aus; der Inhalt gehört ohne Zweifel zum großen Teile Lucian. Denn — — — — so kümmerlich ist es um die Originalität Lucians — — nicht bestellt, daß man glauben könnte, er habe eine ganze Komödie einfach in Prosa übersetzt. Auch sind die Spuren von überarbeiteten Versen doch nur hin und wieder nachweisbar.“ Sed sequuntur haud pauci trimetri iambici, quos e Luciani oratione pedestri transscripsit vir doctus. At hos versus si recte detexit Kockius (cf. eiusdem CAF III 652 sqq.), non videtur „minime verisimile“ Lucianum prosa oratione comoediam aliquam expressisse. Hoc si non est verisimile, demitur versibus illis fides.

[224]) Monuit Hirzelius l. l. p. 298. Parum dixit Helmius hisce verbis (l. l. p. 189): „Andererseits sagt uns das einzige Fragment, das aus des Antiphanes' Komödie ‚Timon‘ überliefert ist, nichts für die Beurteilung der Lucianischen Satire.“

[225]) Quamquam apud Lucianum nusquam comperimus Timonem antea uxorem duxisse. Phrynichi *Μονότροπος* profitetur fr. 18 (Ko. I 375): *ζῶ δὲ Τίμωνος βίον, ἄγαμον* etc.; cf. eiusdem fabulae fr. 19.

tantum partim eam expressisse. Quod profecto Helmi coniecturae non favet. Accedit aliud: nomina illa, quae in dialogo memorantur, hominum esse, qui quinto saeculo vixerunt, nemo nescit (cf. supra p. 85). Quae Helmius Hirzelio, qui et aliis et hac re nisus exemplum sophistae ad antiquam comoediam revocandum putavit, opposuit (l. l. p. 186 adn. 4) his verbis „Damit (sc. his nominibus) wird natürlich nicht erwiesen, wie Hirzel — anzudeuten scheint, daß die etwaige Vorlage der alten Komödie angehörte, wenn die Vorlage selbst ein ‚Timon' war; die Erwähnungen würden ja dann durch die Person des Helden und seine Zeit veranlaßt", nullius momenti sunt. Nam licet de indole mediae quam vocamus comoediae pauca sciamus, quoniam nullum certum exemplum habemus, hoc mihi certissimum videtur, numquam (exceptis argumentis fabularibus) Atticam exstitisse comoediam ita comparatam, ut poeta, quam repraesentabat, actionem consulto prisco quodam tempore, e. g. superiore saeculo, accidisse finxisset (velut nostrates poetae praemittunt „das Stück spielt im 18. Jahrhundert"), ut hac de causa personas suas tantum illius aetatis homines fecisset commemorantes.[226] Et mediarum comoediarum actiones non aliter atque veterum et novarum praesenti tempore opinor fieri fingebantur, sicut vel fabulosas, quae prodibant, personas de rebus hominibusque aequalibus inter se colloquentes inducere non verebantur poetae.[227] Hac potissimum causa permotus Lucianum non Antiphanis comoediam imitatum esse contendo.[228]

---

[226]) Etiam Helmium cum alia tum hi homines nominatim allati, ut exemplum comoediae subesse censeret, adduxerunt (l. l. p. 186).

[227]) Cf. Cobet Plat. com. p. 115. — Menandrum *Περικειρομένης* actionem ad tempora belli Corinthii relegasse putaverat editor princeps Lefebvre (p. 106. 109), sed erravit, cf. Leo Herm. XLIII (1908) 139; Koerte Arch. f. Pap.-forsch. IV (1908) 512.

[228]) Quas similitudines Helmius indicavit (l. l. p. 189 adn. 2 et 3) inter Timonis Lucianei nonnullos locos et Antiphanis aliquot fragmenta sine nomine fabulae tradita, leves sunt neque ab ipso graviores habentur.

Contra Piccolominii coniecturas hoc dicendum parum nobis notam esse et veri Timonis vitam eiusque odii fontes (cf. Leo supra p. 86) et rationem, qua antiqui comici eum descripserint atque deriserint, quia, Plato comicus quae de eo dixerat (cf. eius fr. 218, Ko. I 660), plane deperdita sunt. Nec certo scimus, quae res Phrynichi Monotropo morositatem illam intulerit. Ceterum mihi persuasum est Antonium, quem aemulabat Timonem, non e comoedia aliqua quarti saeculi cognitum habuisse, sed e vitae eius descriptionibus, quales historici componebant.

Nec tamen affirmaverim titulum [229]) nil cum misanthropo commune habuisse, immo contrarium verisimile duco, quod iam Aristophanes (Av. 1549) nomine eius proverbialiter usus est. Neque aliter Antiphanem id usurpasse suspicor apta comoediae actione suo ingenio excogitata. Cohaerere fabulam et cum Phrynichi Μονοτρόπῳ et cum posteriorum titulo Δύσκολος nequaquam nego.

Quod exemplum autem Luciano Timonem componenti propositum fuerit, isti quaestioni hoc loco, ubi de comoediarum titulis agitur, nec debeo respondere nec possum. [230])

---

[229]) Praeter misanthropum septendecim Timones ap. Kirchn. II 325 sq. 485, sed posterioris aetatis plurimi.

[230]) Haud scio an non propter homines illos quinti saec. a Luciano commemoratos (v. supra p. 85) de veteris comoediae exemplo cogitandum sit: non eodem tempore illi omnes fuerunt, quandoquidem demum decem fere annis post Anaxagoram (§ 10) Athenis expulsum Hyperbolus (§ 30) inter cives nomen habere coepit. Quamquam Aristophanis Plutum scaenasque, qualibus terminantur Pax et Aves, nil ad dialogum pertinere nemo affirmet. [Inprimis ab Aristophanis Pluto Lucianum pendere nuper Ledergerberus studuit probare (Lukian und die altattische Komoedie [Diss. Freib. in d. Schw. 1905] p. 14 sqq.), etiam Timonis descriptionem Lucianeam cohaerere ratus cum illo viro iusto ab Aristophane in illa comoedia v. 823 sqq. producto. Oblocutus est Legrand l. l. (v. adn. 220), qui e communi fonte haec deducere mavult.] Nomina Gnathonides et Demeas mediam novámque comoediam sapiunt vel post eam imposita videntur: de Gnathonide cf. supra p. 52, Demeae nomine, quod propter etymum Lucianus sumpsit, saepe comici utebantur: cf. Alex. fr. 201, 3 (Ko. II 371) [ἡ *Δημέᾳ Λάχητος Ἐτεοβουτάδῃ*: fictum nomen puto nec dignum, quod in Kirchneri Prosop. Att. recipiatur

Alexidis Φαῖδρος.

E numero fabularum Alexidearum Phaedrus (Mein. h. cr. 381 sqq.; Ko. II 386 sqq.) hic ponenda videtur, de qua Meinekius refutata Bergkii opinione, qui ipsum Phaedrum Platonicum [231]) hac in comoedia partes egisse suspicatus erat, haec dicit (l. l. p. 383); „crediderim Alexin, cum adolescentulum amoribus impense deditum repraesentare vellet, huic ideo Phaedri nomen imposuisse, quoniam quam Plato huius imaginem exhibuisset consilio suo optime respondere vidisset." Cui sententiae viri doctissimi, ut statim quid sentiam profitear, assentiendum existimo. [232]) Sed examinemus, quibus rationibus nisus Bergkius (Epist. ad Schill. [in Schill. ed.

(v. nr. 3313), quoniam Laches in comoedia non minus usitatum: v. Philem. fr. 28,3 (Ko. II 485). 149 (523); Men. Ἥρ. p. 6/7 Lefebvre; fr. L v. 17 ib. p. 178 (cf. v. Arnim. Herm. 1908, 168); fr. 284 (Ko. III 81). 647 (191). 921 (239); Crobyl. fr. 5 (III 380) (non huc revocandum Ephipp. fr. 16, 4 [II 259]); Ter. Hecyr. (senex); Caec. v. 127 (p. 56 Ribb.²); incert. fr. IX. X. XI (p. 114. 115 Ribb.²); Philolaches Plaut. Most. (adul.); — et iam Aristophanes saepe personas fictas nomine patris et tribu ornabat: v. Ach. 406; Nub. 134; Vesp. 234; Pac. 190. 919; Av. 645; Lys. 852; Thesm. 898; cf. Antiph. fr. 211 (Ko. II 103); Plaut. Epid. 438. 448 (de hoc loco v. Wilamow. Ind. Schol. Gotting. 1893/4, p. 14, adn. 1); Luc. mer. dial. 9, 4]; Men. fr. 123 (Ko. III 35). 939 (243); Σαμ.; Com. fr. Flinders Petrie Pap. p. [16]; Hibeh Pap. ed. Grenfell-Hunt I 29 (p. 40); Com. prolog. Reitzenst. Herm. XXXV (1900) 622; Ter. Eun. (senex); Adelph. (senex); Caecil. v. 216 (p. 71 Ribb.²); inc. fr. X (p. 115 Ribb.²). — — Ad Luc. Tim. § 47 (*ὁπότε ᾄσαντά με πάντων σιωπώντων μόνος ὑπερήνεσεν, ἐπομοσάμενος ᾠδικώτερον εἶναι τῶν κύκνων*) cf. Theophr. Char. II 4 (cum comm. edd. Lips. p. 14) et Plut. de vit. pud. 531 D. — — — § 51 legenti (*ἀχθῆναι γὰρ δι' αὐτὸν δεῖ τήμερον τὰ Διονύσια*; in lege Demeae) in mentem veniat mysteriorum Athenis propter Demetrium Poliorcetam alio quam quo solebant tempore habitorum (v. Plut. Demetr. c. 26).

[231]) Myrrhinusium, cf. Kirchn. s. nr. 13960. Kirchnerus septendecim Phaedros enumerat; neque deest insignis vir Phaedrus nomine, ad quem, si hoc malis, titulum referas; Sphettium dico, filium Calliae (Kirchn. s. nr. 13964), qui saepius praetoris munere functus est. Cuius etiam in Timarchea Aeschinis mentio fit (§§ 43. 50, cf. supra p. 44), ubi Misgolae et Timarchi consuetudine usus esse perhibetur. Sed ne hunc ista comoedia irrisum credam, impedior illo fragmento 245 Ko. (v. supra et cf. adn. 232).

[232]) Si titulus recte se habet, cf. infra p. 94).

Andoc. Lips. 1835] p. 132 sqq.) Phaedrum Myrrhinusium inductum fuisse sibi persuaserit. Atque audimus in fragmento admodum longo (245 Ko. = Athen. XIII 562 a) adulescentem aliquem de amoris natura atque vi philosophantem, quod quam bene Phaedro Platonico conveniat, neminem fugit. Accedit alterum fabulae fragmentum ab eodem Athenaeo servatum (IV 165 e = fr. 246 Ko.): σχολῇ γε, νὴ τὸν ἥλιον, σχολῇ λέγεις. | Ἐπιχαρίδης ὁ μικρὸς ἐν πένθ' ἡμέραις | σφαῖραν ἐποίησε τὴν πατρῴαν οὐσίαν κτλ., quod recte Bergkium secutus sic latine vertit Kockius: „tarde tu quidem (vel ille quidem) rem familiarem dilapidavisti (dilapidavit), siquidem Epicharidi quinque dies suffecerunt": Phaedrum autem Myrrhinusium ex divitiis in inopiam incidisse οὐ διὰ κακίαν testis est Lysias or. XIX 15, quod Bergkio mire cum illo fragmento congruere videbatur. [233]) Sed casu quodam insolito eum deceptum credo: prioris fragmenti initium si diligentius inspicies, adulescentem audies infelici amore vexatum — pecunia, qua amicam redimat, eum carere fingas (τῆς ἀπορίας; cf. Mein. l. l. 383) — eamque ob causam et quia Piraeo redeunti otium est, de amoris natura cogitantem; ceteroquin nihil cum philosophia ei commune esse (φιλοσοφεῖν ἐπῆλθέ μοι) opinor. Praeterea, ut haberet, unde apte comoediam ordiretur quoque adulescentis primas, ut suspicor, partes agentis indolem statumque auditoribus extemplo demonstraret, poetam tali modo eum loquentem induxisse verisimile est. Accedit, quod in eiusmodi de amore meditationibus multi erant praecipue quarti saeculi poetae comici, id quod ipsa illa Athenaei capita (XIII 13. 14), quorum initio hoc Phaedri fragmentum legitur, docent compluribus et Alexidis et aliorum poetarum (Eubuli sive Ararotis, Theophili, Aristophontis, Amphidis) eclogis similibus allatis. [234]) Et quod ad alterum fragmentum attinet, saepius et in vita et in scaena comica accidere solebat, ut

---

[233]) Bergkium secutus est de Wilamowitz Philol. Untersuch. I 221. — Cf. Spengel *Συναγ. τεχν.* p. 135, quo de loco me monuit Hermannus Schoene.

[234]) Cf. E. Rhode Griech. Rom.[1] p. 56 adn. 3.

filius vino et amori indulgens patrimonium brevi tempore profunderet, quam ut ad Myrrhinusium illum hoc referri necesse esset. — Sed nondum commemoravimus, qua principali causa usus Meinekius Bergki sententiam oppugnarit,[235] rationibus scilicet temporum: „Nam cum Lysiae illa oratio, in qua paupertas Phaedri commemoratur, Olymp. 98, 1 (= 388/7) habita sit, Alexis autem ante Olymp. 102 (= 372-69) fabulas docere non coeperit,[236] mirum profecto videri debet Alexin tanto temporis spatio interiecto inopiam hominis carpsisse" (l. l. 382). Omnino verisimile esse „Phaedrum illo quo Alexis fabulam suam docuit tempore ex vivis iam excessisse." Quod consentaneum videtur: quamquam enim putaverit quispiam Phaedrum, cum uxorem duxisset sororem eius, qui Lysiae orationem XIX[237] habuit, isque circiter a. 417 natus esset (§ 55), Philomelus autem Paeaniensis alterius sororis maritus, discipulus Isocratis, ante a. 336/5 demum mortem occubuisset,[238] his duobus viris non ita multo fuisse natu maiorem,[239] tamen nescio, an recte apud Blassium l. l. adn. 4

---

[235]) Ceterum ipse Bergkius sententiam videtur mutasse: cf. Griech. Litt.-Gesch. IV 153, adn. 109 «Die Lektüre des platonischen Phaedrus regte wohl den Alexis an, die gleichnamige Komödie zu dichten; natürlich ist dies Drama weit später abgefaßt, wird aber zu den früheren Arbeiten des Komikers gehören.»

[236]) Atque in posterius tempus primam cadere Alexidis fabulam iure, ut mihi videtur, nuper affirmabant Kaibelius Cappsiusque, hic anno 357/6 eam assignans (Am. Journ. of Phil. XXI [1900] 59 sq. et P W Suppl. p 56 sq.), ille eius aetatem annis fere 372 et 270 circumscribens (P W I 1468). Hoc est certum, ante Platonis mortem (348/7) Alexidem fabulas docuisse, siquidem in eius Ancylione (fr. 1 Ko., cf. supra p. 74), Meropide (?) (fr. 147, Ko. II 351), Parasito (fr. 180, Ko. II 364), Olympiodoro (?) (fr. 158, v. supra p. 51) philosophus vivus memoratur.

[237]) *Ὑπὲρ τῶν Ἀριστοφάνους χρημάτων*, a. 387; cf. Blass Att. Bereds.² I 533.

[238]) I G II 808 c 35. 809 d 172; Kirchn. s. nr. 14670.

[239]) Hanc sententiam quisquis accipit, Athenaei auctorem XI 505 f sequitur: *ἀδύνατον δὲ καὶ Φαῖδρον οὐ μόνον κατὰ Σωκράτην εἶναι, ἤ πού γε καὶ ἐρώμενον αὐτοῦ γεγονέναι.* Sed hoc fortasse ex ipso illo loco Lysiano ortum est.

Sandysius tantum duas fuisse sorores illius oratoris pronuntiaverit, quarum altera bis in matrimonium data primum Phaedro nupserit Myrrhinusio, deinde Aristophani filio Nicophemi.[240]) Quae si recte observata sunt, etiam Platoni de aetate Phaedri fides restituitur.

Alexidis Φαίδων ἢ Φαιδρίας.

Duobus locis cum ab Athenaeo Alexidis Phaedrus laudetur, semel mirum fabulae indicem profert miroque modo Phaedri similem: VIII 340 b Ἄλεξις ἐν Φαίδωνι ἢ Φαιδρίᾳ (Mein. h. cr. 384 sq.; Ko. II 388), quem iure suspectum existimabant Meinekius (l. l.) et Kaibelius (in ind. ed. Athen. vol. III. p. 573). Titulis enim, quales sunt Σεμέλη ἢ Διόνυσος (Eubuli Ko. II 196), Οἰνόμαος ἢ Πέλοψ (Antiphanis ib. 81, Eubuli ib. 190), Τυνδάρεως ἢ Λήδα (Suid. s. v. Σώφιλος = Ko. II 446) non satis explicatur illud Φαίδων ἢ Φαιδρίας, siquidem illae comoediae in fabularibus heroum historiis notissimis versatae optime aut unius aut alterius nomine notissimo poterant designari, hic ficta, ni egregie fallor, fabula fictae personae inductae erant; ne ille quidem titulus Alexideus Δημήτριος ἢ Φιλέταιρος auxilio vocatus sufficit, quia eius posteriorem partem appellativum quod vocant esse mihi persuasum est, non proprium nomen (cf. infra), neque magis eiusdem poetae Ἀγωνὶς ἢ Ἱππίσκος (cf. infra). Accedit nominum inter se similitudo insolita. Quae cum ita sint, ego quoque cum iis facio, qui titulum pro vitioso habent. Atque Meinek. l. l. „haud inepte, inquit, alterum titulum e διττογραφίᾳ ortum esse, pro Φαίδωνι autem Φαίδρῳ scribendum conicias." Sed vereor, ne ipsa altera parte Φαιδρίᾳ integra relicta illud Φαίδωνι delendum sit: Phaedrias enim comicis usitatum erat nomen adulescentibus propter etymum inditum: Ter. Phorm., Eun.,[241]) Turpil. v. 93

---

[240]) § 15 τὴν μὲν Φιλομήλῳ .... τὴν δὲ Φαίδρῳ .. ἐπιδοὺς τετταράκοντα μνᾶς, καὶ Ἀριστοφάνει τὸ ἴσον.

[241]) Hic Phaedria Menandro Chaerestratus nominabatur, cf. Schol. Pers. Sat. 5, 161.

(p. 96 Ribb.²), v. 170 (p. 106 R.²); (cf. Ael. ep. rust. 20; Alciphr. II 35; III 27 (Schep.) Sondag Diss. p. 25 sq. 59); cf. Ar. Lys. 356. Sed si Phaedrias verus titulus Alexidis exsistit, statim, de quo modo egimus, Phaedrus suspectus redditur. Atque si quis contenderit indicibus dialogorum illorum Platonis celeberrimorum, Phaedri Phaedonisque, veram Alexideae fabulae inscriptionem Φαιδρίας obscuratam esse, ego non nimis oppugnem.

Diphili Τιθραύστης.

Eidem classi dubitanter attribuo Diphili Τιθραύστην[242] (Mein. h. cr. 456; Ko. II 568), quam eis fabulis annumerat Meinekius vir doctissimus (ib. p. 438), quibus „aequales nominatim" carpebantur; sed nullum potuerunt investigare virum cognominem, Persam scilicet, editores fragmentorum, ad quem titulus revocaretur: iure Meinek. monet, „ne illum Tithrausten intelligas — qui cum Artaxerxis fuerit dux belli, Tissaphernis successor, memoratus Diodoro Sic. XIV 8 aliisque, facile intellegitur Diphilo fabulae argumentum praebere non potuisse."[243] Quare vereor, ne Diphilus cum nobilem aliquem Persam (sed nequaquam certum ipsius aequalem) depingere voluerit, fortasse vitiis ridiculis insignem, ἀλαζονείᾳ opinor et impudicitia, ei nomen Τιθραύστης imposuerit ex illo satrapa omnibus notum.[244] Conferas Pharnabazi nomen simili modo adhibitum in Epicratis fragmento 2/3, 17 (Ko. II 283) et eiusmodi satrapae descriptionem apud Machonem Athenaei XIII 581 a: eadem de causa Poenulus Plautinus vocatus est Hanno.

Non ita parvum comoediarum numerum vidisti hac in quaestione nobis fuisse afferendum. Sed etiamnunc sunt,

---

[242]) Apud Athen. XI 484 e, ubi unum et solum comoediae fragmentum invenitur, librorum lectio est πιθραυστῃ, quod sine dubio recte emendavit Casaubonus.

[243]) Cf. de hoc Tithrauste Xen. Hell. III 4, 25 sq.; 5, 1; Isocr. 4, 140; Schol. Dem. IV 19; Plut. Ages. 10; Paus. III 9, 7; Polyaen. VII 16, 1.

[244]) An fortasse falsus Persa in fabula prodiit, ut in Persa Plautina?

quae huc pertinere viris doctis sint visae. Nonnulla enim, quibus inscriptae fabulae exstant, nomina aut ita comparata sunt, ut dubitari possit, sintne a certis hominibus poetae irrisis ducta an a cognominibus personis fabulosis, quarum res quantam ludendi materiam praebuerint praecipue quarti saeculi comicis poetis, nemo est, qui nesciat, aut ita formata, ut primo obtutu nequeas diiudicare, omnino propria sint nomina an alia ratione interpretanda. Utriusque classis exempla quae exstant sum additurus.

Theopompi Πανταλέων.

Prioris commemoro primam Theopompi Pantaleontem (Mein. h. cr. 241; Ko. I 745),[245]) quem hominem eundem esse atque πλάνον famosum, cuius memoriam debemus Athenaeo (XIV 616 ab[246]), neque diversum ab eo, in quem oratio Lysiae exstabat (πρὸς Πανταλέοντα Sauppe O A II 202; Blass. Att. Bereds.² I 373 nr. 158), sententia erat Bergkii (Epist. ad. Schill. in huius ed. Andocid. p. 136) et Meinekii; sed quam incerta esset haec coniectura utpote nullo alio nisa argumento, quam quod idem est nomen, suo iure affirmavit Blassius (l. l. 602 c. adn. 7). Accedit, quod Athenaeus e comicis unius Theogneti testimonium de plano affert; quem poetam, cum Stoicorum philosophorum mentionem habeat (fr. 1, Ko. III 364), recte novae comoediae aetati ascripsit Meinek. h. cr. 487; et licet de Pantaleonte mortuo illo loco loquatur poeta (ἐπλάνα — ἀπεκραιπάλα), tamen eum iam Theopompi temporibus floruisse vix crediderim: non ita celebrem homuncionem fuisse ex aliorum comicorum silentio concludo. Sed alia praeterea est causa, qua adductus dubiis his titulis Pantaleontem accensere malim — nam nomen Atheniensibus minime usitatum fuisse

[245]) Ceterum cf. Poll. 10, 41 (= fr. 45 Ko.) *ἐν Πανταλέοντι Θεοπόμπου, εἰ καὶ ἀμφισβητεῖται τὸ δρᾶμα.*

[246]) Affert Theogneti comici (= fr. 2, Ko. III 365) atque Chrysippi philosophi de illo testimonia.

concedendum [247]) —: tyrannus quondam fuit Pisae famosus hoc nomine insignitus, de quo haec narrat Heraclid. Polit. 6: Πανταλέων ἐβασίλευσεν ἐν τούτοις, ὑβριστὴς καὶ χαλεπός. οὗτος πρέσβεις πρὸς αὐτὸν ἐλθόντας ἐκτεμὼν ἠνάγκασε καταφαγεῖν τοὺς ὄρχεις. Qui quo tempore vixisse dicatur, quaerenti audiendus est Pausan. VI 21, 1: τετάρτῃ δὲ Ὀλυμπιάδι καὶ τριακοστῇ (= 644—41) στρατὸν οἱ Πισαῖοι καὶ βασιλεὺς αὐτῶν Πανταλέων ὁ Ὀμφαλίωνος παρὰ τῶν προσχώρων ἀθροίσαντες ἐποίησαν ἀντὶ Ἠλείων τὰ Ὀλύμπια. [248]) Cui tyranno quicquam cum Atheniensium comoedia esse non affirmarem, quamquam quae Heraclides narrat comoediae bene conveniunt, nisi Naevium illum tyrannum commemorasse Festus (p. 210 M.) traderet his: „Pisatilem appellat Naevius Pantaleontem, id est Pisis oriundum tyrannum, cum alioqui inde profecti nunc Pisani dicantur“: [249]) nam e comoedia Graeca huius monstri memoriam ad Naevium transisse verisimile est. Certiora argumenta, quibus demonstretur hunc tyrannum „Pisatilem“ Theopompum in comicam iussisse descendere scaenam, desunt.

Amphidis et Mnesimachi Ἀλκμέων.

Sequatur Alcmeon, quo nomine et Amphis et Mnesimachus fabulas inscripsere (Mein. h. cr. 423; Ko. II 236. 436). De titulo haec profert Meinek. l. l.: „non ad fabulosum illum Alcmaeonem, sed ad philosophum Pythagoreum, de quo praeter alios cfr. Diogenem Laert. VIII 83, spectasse (sc. comoediam) haudquaquam incredibile videbitur ipsum illud quod Diogenes attulit fabulae fragmentum contemplanti

ὡς Πυθαγορισταὶ [250]) θύομεν τῷ Λοξίᾳ
ἔμψυχον οὐδὲν ἐσθίοντες παντελῶς.

Cognominem Amphidis fabulam in eodem haud dubie argumento versatam supra attigimus p. 405.“ Sed idem F C G

---

[247]) Sex apud Kirchn. II 180.

[248]) Cf. O. Mueller Dorier I 150; Schneidewin Heraclid. Polit. p. 64.

[249]) Ribb. F C R² p. 26, qui haec annotat: „fortasse in Testicularia huius tyranni mentio facta est.“ Cf. Ko. III 731.

[250]) Trad. *Πυθαγοριστῇ*, quod retineri potest; Cob. *Πυθαγοριστί*.

III 567 „Quod . . suspicatus sum, Alcmaeonem illum esse philosophum Crotoniensem, id nunc minus mihi certum videtur.“ Unde Ko. II 236 „dubium est utrum significetur Amphiarai filius an philosophus Pythagoreus.“ [251]) Hic si fabulae nomen dedit, ad Pythagoristas irridendos eam scriptam esse consentaneum est, qui a mediae comoediae poetis saepissime sane atque acerbe vellicabantur. [252]) Sed mihi Meinekius merito sententiam mutasse videtur; e fragmento illo, quo ad priorem suam coniecturam adductus est, non efficitur per totam fabulam Pythagoristas esse illusos. Immo ad filium Amphiarai referendus est titulus: hoc vel eo commendatur, quod duae exstabant illo nomine ornatae comoediae; deinde etiam quarto saeculo saepenumero in tragicam scaenam processisse matricidam inclitum argumento est et lapis I G II 973 (= Wilh. Urk. p. 39/40: [Εὐάρ]ετος τρί [᾿Αλκ]μέ[ων]ι, a. 341/40) et tragoediae cognomines Astydamantis (Nauck T G F² p. 777 sq.) et Theodectae (ib. p. 801); [253]) praeterea respicias velim Antiphan. fr. 191, 9 (Ko. II 90) et Timocl. fr. 6, 12 (II 453). [254]) Neque sacrificium Apollini paratum (Mnesim. fr. 1, v. supra), si Alcmaeonem intellegis fabulosum, qui illius dei iussu matrem occidit, bona caret explicatione, et quod deum Loxiam appellatum legimus, manifestam deprehendimus imitationem ludicram tragicae dictionis tragico Alcmaeoni aptae.

Anaxandridis Λυκοῦργος.

De Anaxandridis Lycurgo (Mein. h. cr. 371; Ko. II 144 sq.) Kockii sententiam sequor, qui l. l. hoc annotat: „Thraciae

[251]) De philosopho cf. Zeller Phil. d. Griech. I⁵ 488 sqq.; Hirzel Herm. XI (1876) 240 sqq.; Wellmann apud P W I 1556; Diels Vorsokr. 103 sqq.

[252]) Cf. Zeller Philos. d. Griech. III³ 2, 79 sq.; Diels Vorsokr. 302 sq.; Helm Lucian u. Menipp 380 sq.

[253]) Cf. Welcker Griech. Trag. 1056 sqq. 1075. — Etiam Nicomachus tragicus scripsit Alcmaeonem (Suid. s. n.; cf. Mein. h. cr. 497; Welcker l. l. 1015). — Achaei exstabat *Ἀλκμέων σατυρικός* (Nauck T G F² p. 749 sq.).

[254]) Cf. etiam Aristot. Poet. c. 13, 1453 a 20; c. 14, 1453 b 24.

regem, non Lacedaemonium neque Atheniensem significari existimo", — praesertim cum illud, quod e comoedia restat, fragmentum (27 Ko.) haud inepte ad Bacchum „a rege in mare expulsum" referri possit (v. Ko. ad loc.). Lycurgum oratorem Atheniensem a poetis comicis carptum esse neque fragmento ullo neque alio testimonio evincitur, quod casu quodam sane potest factum esse.[255]) Sed Anaxandrides multus fuit in tragoediis rebusque atque personis fabulosis in iocum risumque detorquendis: e fabulis, quarum novimus titulos, omnino numero triginta sex, certe decem (praeter Lycurgum) in tali materia versatae sunt (Ἀγχίσης Ἀχιλλεύς Ἑλένη Ἡρακλῆς Θησεύς Νηρηίδες Ὀδυσσεύς Πάνδαρος Πρωτεσίλαος Τηρεύς); accedit fortasse quodam modo Νηρεύς (v. supra p. 40) et si I G XIV 1098 Anaxandridis fabulae enumerantur,[256]) accedunt Διονύσου γοναί Ἐρεχθεύς Ἰώ (simul totus titulorum numerus efficitur quadraginta).

Antiphanis Φάων.

De Antiphanis Phaone (Mein. h. cr. 323; Ko. II 104) haec commentatus est Meinekius: „Nec de Phaone .. res certa .. est. Quis enim affirmare audeat, non famelicum illum Pythagoristam fabulae nomen dedisse quem commemorat Alexis apud Athen. IV p. 161 c[257])

ἆρ᾽ οἶσθ᾽ ὅτι
Μελανιππίδης ἑταῖρός ἐστι καὶ Φάων
καὶ Φυρόμαχος καὶ Φανός, οἳ δι᾽ ἡμέρας
δειπνοῦσι πέμπτης ἀλφίτων κοτύλην μίαν."

Sed quoniam Platonis comici comoediam cognominem (Ko. I

---

255) Oratoris avum, Lycurgum Ἑλληνοταμίαν, vellicabant antiquae comoediae poetae, Cratinus in Deliadibus fr. 30 (Ko. I 21), Pherecrates in Feris fr. 11 (I 148), Aristophanes in Avibus v. 1296, ut Aegyptium, cf. Koehler Herm. V (1871) 352, Ko. ad ll. ll., Kirchn. s. nr. 9249.

256) Hoc admodum verisimile, cf. Koerte Rh. Mus. LX (1905) 425 sqq.; Wilh. Urk. p. 195 sqq.; dubitare desiit Cappsius Class. Philol. I (1906) 203 adn. 1.

257) = fr. 221 (Ko. II 378).

645 sqq.) de Phaone fuisse constat nauta illo fabuloso [258]) idemque in Leucadia Menandri, qui saepius Antiphanem secutus esse dicitur (cf. infra p. 101 sq.), partes egit, Antiphanis quoque fabulam, nisi forte nova fragmenta aliud docebunt, ab eodem repetere malo, quamvis argumentis sententiam probare nequeam.

Philetaeri Κέφαλος.

Ad Cephalum Philetaeri (Mein. h. cr. 350; Ko. II 231) transeamus a solo Suida laudatam (s. v. Φιλέτ.), [259]) de qua denuo lubet exscribere Meineki verba: „Si vere hoc titulo comoediam inscripsit, argumentum eius non dissimile fuisse crediderim ei, quod in Procride tractavit Eubulus. [260]) Nisi forte ab eo Cephalo argumentum fabulae repetendum est, quem graviter notat Aristophanes Eccl. 248, quae Dobraei videtur esse sententia.“ Quod cum ne hodie quidem fragmentum comoediae in lucem prolatum sit, non magis potest discerni quam aetate Meineki. Hoc unum licet dicere, comoediam ab oratore aequali (Kirchn. s. nr. 8277) denominatam minime videri abhorrere ab ingenio Philetaeri scribendique ratione: eius enim fortasse est comoedia Ἄντυλλος inscripta (vel Nicostrati, v. supra p. 44), et in viginti, quae servata sunt, fragmentis sat paucis (Ko. II 230 sqq.) illuduntur (excepto illo meretricum catalogo, quem praebet fr. 9 [v. infra p. 122 sq.]) Phormisius (mortuus) fr. 6, [261]) Hyperides orator fr. 2, Diopithes quidam fr. 9, 2 (cf. infra adn. 329), Ctesias pater Cranai fr. 3, [262]) Peleus figulus fr. 4, memorantur Sotades, Taureas fr. 3, Stratonicus citharista fr. 14. 15, (Patanion coquus [fortasse fictus] ib.).

---

[258]) Cf. de eo Usener Götternamen p. 328 sqq.

[259]) Cf. Wagner Diss. p. 36. 49.

[260]) Cf. Mein. h. cr. 366; Ko. II 195 sq.

[261]) In *Κυναγίδι*, cf. infra hunc tit. Phormisius una cum Cephalo al. Thebanos exsules adiuvit (Din. I 38); irridetur a Platone comico in Legatis (Ko. I 632 sqq.), qui et Cephalum vellicat fr. 185 (Ko. I 652).

[262]) Cf. Anaxil. fr. 25. 30. 31 (Ko. II 272. 273). Athen. X 416 d sqq. — Isae. 4, 9. Ko. III 740; Kirchn. s. nr. 8841.

Menandri Δάρδανος.

Δάρδανος nomen heroicum Menandrum in fabula cognomini (Ko. III 32) servo alicui indidisse crediderim coll. quae ad Caecilii Dardanum adn. 16 attuli exemplis. Alia vide I G II 2868; III 1138 col. IV v. 59. 3069; XII 1, 890, 28; XII 3, 916. Dardani cuiusdam Stoici vitam Diogenes Laertius olim libro suo VII inseruerat, id quod discimus ex indice illius libri qualem praebet Laertianus cod. Paris. (cf. Schwartz ap. P W V 739).

Posidippi Μύρμηξ.

Sequatur Posidippi Μύρμηξ (Mein. h. cr. 483; Ko. III 341), de qua haec Meinekius habet: „Titulum fabulae de formica intellexit Gesnerus: rectius opinor Myrmecem viri nomen fuisse dicemus.“ Quod verum esse potest; nam in vitae usu nomen invenitur.[263]) Tamen hic posui comoediam propterea, quod Myrmex etiam herois Attici nomen fuit (de quo testimonia collecta vide in Rosch. lex. myth.), quem si quis fabulae inscriptionem dedisse autumabit coll. Diphili titulo Ἀνάγυρος (qui dubius est, Ko. II 543 sq.), ego nequeo obloqui.

Appendicis loco liceat commemorare Χρύσιππον Strattidis (Mein. h. cr. 233; Ko. I 726 sq.), Γλαῦκον Antiphanis Eubuli Anaxilae (Mein. h. cr. 325. 360. 407; Ko. II 42. 171 sq. 265) talibus nominibus esse inscriptas, qualia cuilibet Atheniensi poterant esse.[264]) Tamen nemodum dubitavit eis, quibus res atque personae fabulosae traducebantur, comoediis illas ascribere, neque ego dubitabo. — Etiam Nicostrati vel Philetaeri Οἰνοπίωνα (Mein. h. cr. 348. 349; Ko. II 224. 234) quispiam ita explicaverit, ut pro cognomine homini

---

[263]) Cf. Fick-Bechtel p. 317. — I G III 1275 v. 10 (ephebus; tituli origo Attica dubia est); IV 1485, 17, 48 (*Μύρμαξ*; titulus in Asclepi fano Epidaurio repertus); Diogen. Laert. V 14; Synes. ep. 4 init. (p. 639 Herch.).

[264]) Tres Chrysippi apud Kirchn. II 437, sed posteriorum temporum. — *Γλαῦκος* v. Kirchn. s. nr. 2994. 2996. 3000. 3004. Cf. Fick-Bechtel p. 86.

vinoso indito indicem habendum dicat coll. Alex. fr. 108, 2 (Ko. II 334), Alciphr. II 11 (Schep.), A. P. XI 57.

Alii tituli, ut supra dictum est (p. 95), utrum omnino pro nominibus propriis sint habendi an alia intellegendi ratione dubium est. Quorum inprimis sunt Heniochus et Philetaerus.

Antiphanis et Menandri Ἡνίοχος.

Atque Heniochum habes Antiphanis et Menandri (Mein. h. cr. 326; Ko. II 52. III 57 sqq.), de quo titulo primum audiamus Meinekium: „huius nominis . . usus etsi frequentissimus est, nihil tamen obstare videtur quo minus ab auriga fabulam nominatam credamus.“ E fragmentis de significatione tituli nil colligi potest, nisi forte licet conicere, quisquis in Men. fr. 201 verba facit, alloqui ἡνίοχον eaque de causa voce ζυγομαχεῖν poetam usum esse. — Sed proprium nomen Heniochi Athenis non ita multum videtur adhibitum esse,[265]) et qui duos poetas, qui non eodem tempore floruerunt, comoedias sic nominatas scripsisse consideraverit (cf. supra p. 12), haud probabit ad certum quendam hominem irridendum eas esse compositas. Accedit, quod Antiphanis Menandrique fabulae inter se quodam modo videntur cohaerere: respicias velim versus e Menandri Heniocho allati (fr. 205 Ko.) cum Antiphanis fragmento 281 (Ko. II 125, sine fabulae nomine citatur) similitudinem:[266]) fragmentum illud 281 una cum fr. 278 ex Antiphanis Heniocho desumptum esse non temere opineris; potest sane ad eandem orationem pertinere, e qua fr. 104[267]) deprompserunt excerptores. Etenim nonnumquam

---

[265]) In Kirchn. Prosop. Att. tantummodo quattuor Heniochi inveniuntur (I 417), omnes obscuri praeter poetam comicum, de quo cf. Mein. h. cr. 421 sq., Ko. II 431 sqq.; eius Polyeuctum supra p. 38 sqq. attigimus.

[266]) Menand.: *ὧν δὲ μὴ αἴτιος τρόπος,*
τά γ᾽ ἀπὸ τῆς τύχης φέρειν δεῖ γνησίως τὸν εὐγενῆ.
Antiph.: *τὰ τύχης φέρειν δεῖ γνησίως τὸν εὐγενῆ.*
Contulit iam Meinekius.

[267]) Hoc solum ex Heniocho Antiphanis servatum est.

Antiphanis vestigia pressisse novae comoediae celeberrimum scriptorem inprimis auctor est Euseb. praep. ev. X 3, 12/13, qui commemoratis Aristophanis grammatici Latinique libris de furtis Menandri sic pergit: Καικίλιος ὥς τι μέγα πεφωρακὼς ὅλον δρᾶμα ἐξ ἀρχῆς εἰς τέλος Ἀντιφάνους τὸν Οἰωνιστὴν μεταγράψαι φησὶ τὸν Μένανδρον εἰς τὸν Δεισιδαίμονα, [268]) et idem fortasse licet colligere ex nonnullis comoediarum indicibus, qui Menandro cum uno Antiphane communes sunt, [269]) velut Ὁμοπάτριοι Antiphanis Ko. II 83, Menandri III 105, Καρίνη Antiphanis II 56, Menandri III 74, Ὑδρία Antiphanis II 103, Menandri III 133; [270]) quae cum ita sint, fieri potuisse credo, ut Menander non aliter atque cum Δεισιδαίμονα scriberet, etiam in Heniocho componendo Antiphanis drama aut ante oculos haberet, aut totum vel partim in suum verteret usum. Quam sententiam qui accipiet, non de certo homine cogitabit poetis irriso, [271]) sed potius cum illo titulo comparabit Alexidis Ἱππέα (Ko. II 327 sq., haec fabula et ipsa novae comoediae est, cf. infra adn. 402), Mnesimachi Ἱπποτρόφον (Ko. II 437 sqq.), ipsius Menandri Ἱπποκόμον (Ko. III 72 sq.). — Hoc autem nequeo diiudicare, utrum nomen Heniochi adulescenti alicui Phidippidae simili, rei equestri impense dedito, imposuerint poetae — quod cui placebit, eidem classi attribuet Heniochum cuius est Menandri Thrasyleon — an alio nomine aurigam quem introduxerint appellarint. [272])

---

[268]) Cf. Mein. h. cr. 32 („haud immerito tantam illam utriusque fabulae similitudinem ex modesta paucisque mutationibus contenta Antiphaneae fabulae recensione repetemus“); 338; Ko. II 82; III 32; Cobet Plat. com. p. 77 sq.

[269]) Quamquam talia fallere posse concedo, cf. adn. 202.

[270]) Etiam *Μηναγύρτης* vel *Μητραγύρτης* Antiphanis Ko. II 74, Menandri Ko. III 93, sed cf. Philemonis *Ἀγύρτης* Ko. II 478, Anaxandridis *Φαρμακόμαντις* (II 157); Dietze Diss. p. 87.

[271]) Quod etiam a Menandri scribendi ratione abhorret (cf. Athen. XII 549 c).

[272]) Menandrum alteram Heniochi recensionem, cui *Ἡνίοχος ἢ Ὑποβολιμαῖος* inscripsisset, edidisse mihi quidem non ita exploratum est ut Dietzio Diss. p. 51 adn. 1; etiamnunc in Clem. Alex. Protr. VII 75 (= fr. 202, Ko. III 58) *ἐν Ὑποβολιμαίῳ* ut glossema delendum fortasse recte

Porro neglegere non licet hoc de titulo disserenti in novo didascaliae fragmento a Wilhelmio reperto legi v. 2 . . . .] πέμ. Ἡνιόχῳ (a. 313/2), ubi apte cum editore (Urk. p. 45) nomen Menandri poetae restitui potest.

Φιλέταιρος.

Idem, quod de Heniocho, iudicium de titulo Φιλέταιρος faciendum puto, quo sex poetis comoedias placuit ornare: Philonidi[273]) Antiphani Alexidi[274]) Amphidi Henio-

---

putaveris [delet Staehlinius in nova editione vol. I p. 57, 16]: quae Dietzius affert exempla particulae ἢ in titulis duplicibus perditae, cum Clementis loco non plane congruunt propter ἐν alterum. — Perquam autem incertum mihi videtur, quod eodem loco Dietzius profert, istam fabulam (*Ἡνίοχος ἢ Ὑποβολιμαῖος*), quam coniectura sibi paravit vir doctus, exemplum fuisse Caecilianae comoediae, quae titulo Hypobolimaeus Chaerestratus semel laudatur (v. C R F Ribb.² p. 50). Chaerippum illum in Men. fr. 491 nominatum (traditum est hoc fragmentum nunc etiam in Photio Reitzenst. p. 92, 3; cf. ib. p. XXVI) propter nominis etymum ad Heniochum pertinere Dietzius opinatur: sed quidni adulescens aliquis luxuriosae vitae deditus ornatus nomine Chaerippi etiam in Hypobolimaeo prodire potuit? [De nominibus per - *ιππος* formatis et in vita et in poesi usitatis cf. de Wilamowitz Aristot. u. Athen II 29; Leo Plaut. Forsch. p. 98; Fick-Bechtel p. 152 sqq.] Nil igitur video causae, qua nixi Chaerippum Menandreum eundem esse atque Caecilianum Chaerestratum possimus affirmare. [Ceterum nomen *Χαιρέστρατος* et ipse Menander usurpabat: cf. *Ἐπιτρέπ.* v. 161 Lefebvre; fr. 494, Ko. III 142; Phaedriae Terentiano in Eunucho Menandri nomen Chaerestrati erat, cf. adn. 241. Praeterea cf. Papyr. Ghoran. Bull, de corr. hell. XXX (1906) p. 103 sqq. nr. II. (De his fragmentis cf. Koerte Herm. 1908, 38 sqq.) Sed potuit Caecilius nomen mutare.] Accedit, quod, si Cicero pro Rosc. Am. 16, 46 Hypobolimaeum Chaerestratum spectavit (id quod primus coniecit Meinek. Men. et Philem. rell. p. 172, atque admodum verisimile est, cf. Ribb.² p. 47), locus Ciceronianus ipse quidem cum Menandri *Ὑποβολιμαίῳ ἢ Ἀγροίκῳ* cohaerere videtur, qua ex re efficitur *Ὑποβολιμαῖον ἢ Ἄγροικον* Hypobolimaeum Rastrariam Hypobolimaeum Chaerestratum eandem fuisse comoediam. Sed satis superque de his rebus: cum adhuc et Hypobolimaei Chaerestrati et Hypobolimaei Aeschini singuli tantum versus supersint, nil nos puto posse proficere has inter se discernentes comoedias atque insuper cum Menandreis conferentes fabulis, e quibus et ipsis exigua tantummodo frustula habemus.

273) Suid. s. n.; fragmenta non exstant.

274) Titulus duplex *Δημήτριος ἢ Φιλέταιρος*, v. supra p. 67 sqq.

cho[275]) Hegesippo[276]) (Mein. h. cr. 103. 326. 388 sq. 406. 477; Ko. II 104 sq. 313 sqq. 246 sq. III 313 sq.; cf. Hanovius Exercitatt. crit. in comicos Graecos [Hal. 1830] p. 14). Meinek. l. l. 326 haec dicit: „Philetaerus .... plane incertum est utrum poetae Φιλεταῖρος an Φιλέταιρος dicta fuerit .... Si viri nomen est, fortasse a Philetaero poeta comico, Aristophanis filio, fabula denominata est, sin adiective capiendum, hominem hoc dramate descripsisse poeta censendus est, qui officiosa sedulitate amicorum commodis inserviret. Talis hominis imaginem habemus ... apud Timoclem Athenaei VI p. 237 d" (= fr. 8, Ko. II 454). Sed qui magnum numerum poetarum, qui tales comoedias composuisse perhibentur, respexerit, e quibus unus fuit veteris comoediae, quattuor mediae, unus novae,[277]) profecto negabit hos omnes per totas illas comoedias eundem hominem nomine Philetaerum perstrinxisse neque probabilius credet filium Aristophanis collegas mediae comoediae tanta acerbitate esse persecutos; accedit, quod Alexidis titulum hac ratione explicare imitatione illa Romanorum (v. supra p. 12. 68) vetamur. Immo pro certo existimo omnibus istis comoediis hominem φιλέταιρον depinxisse poetas.[278]) Conferas praeter illud Timoclis fragmentum a Meinekio allatum (v. supra) Cratin. min. fr. 12 (Ko. II 292),[279]) atque similes fabularum indices, quales sunt Φιλάδελφοι (etiam Amphidis), Φιλοδέσποτος (cf. Ko. III 708).

---

[275]) Suid. s. n.; fragmenta non exstant.

[276]) Suid. s. n., qui titulum ex Athenaeo cognitum se habere ipse testatur; sed hic (VII 279 d) numerum pluralem praebet *Φιλέταιροι* (cf. Wagner Diss. p. 39); uter verum exhibeat, diiudicari nequit. — Cf. de titulis, qui modo singulari numero, modo plurali citantur, Haas l. l. I 28 sqq.

[277]) Hegesippum novae esse Meinek. h. cr. 475 sq. animadvertit; Suid. s. n. cum comicum a nobili illo Demosthenis aetatis oratore non diversum ait, errat; cf. Schaefer II² 331 adn. 4, Kirchn. I p. 413.

[278]) Idem pridem affirmavit Toeppelius De fragm. comicor. Graec. quaestt. crit. Spec. III (Progr. Neubrandenb. 1867) p. 10. — Zenodotus et Herodianus libellos scripsere *Φιλέταιρος* nominatos, cf. Pierson ed. Moer. p. XLVII sq. et Lentz ed. Herod. I p. XV.

[279]) Etiam Alciphr. II 16, 1 (Schep.).

Ophelionis et Amphidis Ἰάλεμος.

Ancipitem interpretationem Ἰάλεμος titulus Ophelionis et Amphidis habet (Mein. h. cr. 415. 406; Ko. II 293. 241): σημαίνει enim, si Moeridem audimus, τὸν θρῆνον καὶ τὸν ψυχρὸν ἄνθρωπον. Atque prius Kaibelio placuisse videtur, haec cum annotavit apud PW s. Amphis I 1954 „Mit der modernen Musik, wohl vom Standpunkt der alten Generation, beschäftigt sich der Διθύραμβος, wohl auch der Ἰάλεμος.“ Tamen alterum quoque potest stare (cf. Men. fr. 236, Ko. III 68; Mein. Men. et Phil. rell. p. 82; — Κάλλαισχρον Ophelio scripsit [v. supra p. 52] et Amphis Φιλέταιρον [p. 103]), quod qui probabit, illis comoediis attribuet Ialemum, quae ab iocosis cognominibus nomen traxere (cf. supra p. 71 sqq.).

Philemonis Πύρρος.

Addo Πύρρον Philemonis (Mein. Men. et Philem. rell. 378 sq.; Ko. II 496), in qua fabula non „primo obtutu homo flavus partes agere videtur“ (verba sunt Dietzii Diss. p. 10), immo cuilibet puto titulo poetaeque nomine audito actutum Pyrrhi Epirotae in mentem venire. Atque hunc comoediae nomen dedisse opinatur idem Dietzius l. l. p. 10 sqq.: versus adesp. fr. 347 (Ko. III 473 = Plut. Mor. 519 a) ad Pyrrhum Philemonis esse referendos: quem de servolo ibi querentem audiamus, non diversum esse ab eo, qui in Philem. fr. 71 loquitur (cf. inprimis v. 6). Quae autem in fr. adesp. 347 commemorantur διαλύσεις,[280]) easdem esse sibi persuasit atque eas, quarum mentionem habet Phoenicides comicus fr. 1 (Ko. III 333),[281])

---

[280]) . - εἶτά μοι σκάπτων ἐρεῖ (sc. servus garrulus),
ἐφ' οἷς γεγόνασιν αἱ διαλύσεις.

[281]) Hesych. δύνασαι σιωπᾶν· πρῶτόν φασι Φοινικίδην Μεγαρέα κωμικὸν ποιητὴν ἐν ἄστει διδάσκοντα ἀποσκῶψαι τὴν σιωπωμένην ὁμολογίαν περὶ τῶν διαλύσεων Ἀντιγόνου καὶ Πύρρου βουλόμενον εἰπεῖν ἐν ταῖς Αὐλητρίσιν οὕτως· „δύνασαι σιωπᾶν; — ὥστε ⟨τοὺς⟩ τὰς διαλύσεις | συντιθεμένους κεκραγέναι δοκεῖν.“ ἄλλοι δέ φασι παροιμιωδῶς εἰρῆσθαι ἐπὶ Ἀντιγόνου καὶ Πύρρου τῶν βασιλέων τῶν τὰς ὁμολογίας ἀπορρήτως ποιησαμένων οὕτως, ὥστε μηδὲ τοῖς γραμματεῦσι πιστεῦσαι.

foedus scilicet atque pacem, quam a. 287 Pyrrhus cum Demetrio Poliorceta[282]) fecit.[283]) „Quae cum ita sint, fort. nomen Pyrrhi Philemo fabulae dedit, quod pax a sene in fr. 71 tam pulchre laudata hae διαλύσεις erant, quarum urbani omnes curiosissimi erant.“ (Exscripsi Dietzium l. l.) Sed ut concedam easdem dici διαλύσεις in fr. adesp. 347 (quas apud Phoenicidem[284]) et pertinere illud ad Philemonis Pyrrhum, tamen mire fecisset poeta, si unius ex iis, qui pacem composuerunt, nomine inscripsisset fabulam, in qua de vitae rusticae voluptatibus, de amoribus ut solebat, de discordia fortasse inter patrem agrestem et filium urbanam vitam praeferentem exorta (cf. Dietze l. l. p. 57 adn. 1) agebatur. Idcirco istum titulum cum Epirotarum rege cohaerere equidem affirmare non audeo, priusquam nova forte fragmenta dis propitiis reperta regis memoriam manifestius continent.

Unicum illud, quo Pyrrhus titulus innotuit, fragmentum apud Stobaeum legitur (Φιλήμονος ἐκ Πύρρου); postea idem mentionem facit Φιλήμονος Πυρφόρου (fr. 72 Ko.); fortasse primo quoque loco legendum Πυρ⟨φό⟩ρου?

---

[282]) Non cum Antigono, ut Hesychius tradit: cf. Dietz. l. l. „fort. quia Antigonus in foedere inter Demetrium et Pyrrhum ineundo magnas partes egit“; sed v. adn. 284.

[283]) Cf. de Wilamow. Antig. v. Karyst. p. 208, Niese I 379 sq. — Capps Am. Journ. of Arch. IV (1900) p. 77 sq.

[284]) Neque hoc certum; praeterea vereor, ut recte pacem illam Demetrium inter et Pyrrhum compositam interpretatus sit Dietzius. Primum enim nihil causae video, cur tam *ἀποῤῥήτως* illam compositionem fecerint, *ὥστε*, si fides Hesychio, *μηδὲ τοῖς γραμματεῦσι πιστεῦσαι*; deinde nomen traditum est Antigoni. Quare haud scio, an intellegendum sit illud foedus, quod cum Antigono Gonata post mortem Demetrii Pyrrhus iniisse fertur (Paus. I 10, 2; cf. Niese I 385): hoc enim, quoniam contra pristinum socium Lysimachum cum hosti pristino Pyrrhus fecisse videtur, facile intellegitur cur arcanum initio voluerint atque clandestinum; ne hoc quidem in scaena comica Atheniensium commemoratum esse mirum potest videri, quia quae rationes intercederent atque condiciones inter reges illos modo bellantes modo pacificantes illis saltem temporibus Athenienses non poterant neglegere. — [Pyrrhus rex memoratur etiam Ter. Eun. 783.)

Φύλαρχος. Φίλαρχος.

Eidem classi attribui debent atque commemorari tituli Φύλαρχος vel Φίλαρχος Sophili (Mein. h. cr. 425; Ko. II 446, qui Φύλαρχος praefert sequente Kaibelio in ind. Athen.; apud Athen. III 100 a legitur - υ -, apud eundem 125 e et apud Suidam s. Σώφιλος - ι -), Φίλαρχος Philippidis (Mein. h. cr. 474; Ko. III 307), Φύλαρχος Phoenicidis (Mein. h. cr. 482; Ko. III 333 sq.); inveniuntur enim propria nomina ita formata,[285]) tamen horum titulorum alteri explicationi omnes opinor potius assentiantur. — Ad Phylarchum apte affert Kockius Mnesim. fr. 4, 4 (II 437).

Nicostrati Σύρος.

Paulo aliter comparatus, sed et ipse huc revocandus est Nicostrati titulus Σύρος (Mein. h. cr. 348 sq.; Ko. II 226): potest enim componi cum iis comoediis, quae ab incolis regionum urbiumve denominatae permultae in media potissimum exstant comoedia (cf. p. 64), potest pro servoli nomine haberi a natione, ut fiebat, appellati, quod et in vita et in comoedia erat usitatissimum (cf. Ritschl Parerga p. 164).[286]) Idem fortasse dicendum est de Antiphanis Lydo (Mein. h. cr. 330; Ko. II 70) et de Phryge Alexidis (Mein. h. cr. 403; Ko. II 390. III 743).[287])

---

[285]) Phylarchus e. g. Kirchn. II p. 399 sq. Fick-Bechtel p. 74. 283. — Philarchus Fick-Bechtel ib. — Philarchus Smyrnaeus Plut. parallel. min. 30.

[286]) V. Anaxandr. fr. 51 (Ko. II 158); Eriph. fr. 6 (II 430); Men. Georg. v. 39; Hegesipp. fr. 1, 4 (Ko. III 312); porro cf. Plaut. Bacch. 649; Pseud. 636 sq. 1203; Ter. Heaut.; Adelph.; Laberius apud Ribb.² p. 295. — Syriscus: Men. *Ἐπιτρέπ.*; Anaxipp. fr. 8 (Ko. III 301); Ter. Eunuch. 772; (Ter. Adelph. 763 Syrus compellatur „Syrisce"). — Syra: Arist. Pac. 1146; Philem. fr. 125 (Ko. II 518); Apollod. Caryst. fr. 8 (III 283) = Ter. Hec. 1, 1, 1; Plaut. Truc. 405; Merc.; Cist.(?); Caecil. v. 222 (p. 71 Ribb.²). — Cf. Antiphan. fr. 168, 3 (Ko. II 79).

[287]) Lydus: Plaut. Bacch.; Cornic. fr. VI (Leo II p. 533); Atil. fr. III (p. 33 Ribb.²). — Phrugia: Plaut. Aulul. 333; Ter. Heaut.; Ad. 973; cf. Turpil. v. 102 (p. 98 Ribb.²). — Praeterea v. Plat. fr. 170 (Ko. I 645); Polyzel. fr. 5 (I 791); Arist. Vesp. 433; Av. 1244; Eurip. Alc 675. Muhl Progr. (cf. adn. 21) p. 99. — Supra adn. 164.

Antiphanis Κώρυκος.

De Antiphanis Coryco (Mein. h. cr. 337 sq.; Ko. II 66 sq.) nolo Meinekium sequi, qui de nomine proprio Κώρυκος cogitavit. Etenim hoc tradit fragmentum Antiphanis Athen. IV 161 a

τῶν Πυθαγορικῶν δ' ἔτυχον ἄθλιοί τινες
ἐν τῇ χαράδρᾳ τρώγοντες ἅλιμα καὶ κακὰ
τοιαῦτα συλλέγοντες ⟨ἐν τῷ κωρύκῳ⟩[288])

addens κἀν τῷ κυρίως Κωρύκῳ δ' ἐπιγραφομένῳ φησὶ κτλ., unde Meinekius conclusit istam fabulam non a pera esse nominatam, sed aut ab athletarum folle aut a proprio nomine viri. Sed obstat primum, quod pera κυρία significatio vocis κώρυκος videtur esse, deinde quod nullum proprii nominis exemplum mihi quidem innotuit:[289]) alteri autem favet interpretationi, quod Diphilus similiter titulo Πήρα fabulam inscripsit (cf. Ko. III 751, Schoell Rh. Mus. XLIII [1888] 298), et quod fabulae Antiphaneae, in qua de philosophis Cynicis agebatur (fr. 134 Ko.), talis titulus non male conveniat. Quare Athenaei verba premere nolo neque credo illud κυρίως contrarie dictum esse ei, quod antecedit, ἐν τῷ κωρύκῳ.

Eadem ratione malim alteram partem tituli Alexidis Ἀγωνὶς ἢ Ἱππίσκος (Mein. h. cr. 385 sq.; Ko. II 297: de priore parte cf. infra) fragmentorum editores secutus explicare (cf. Hesych. ἱππίσκος: ἐπίθεμα κεφαλῆς. ἢ γυναικεῖον κόσμον) quam pro proprio nomine eam habere (cf. Kirchn. s. nr. 7607. 7608).

Denique complures commemorandi sunt tituli sive dubii sive corrupti sive parum explicati.

In quibus numero Cratini iunioris Theramenem (Mein. h. cr. 411 sq.; Ko. II 289 sq.), cuius unum, quod restat, fragmentum ab Athenaeo laudatur IV 177 a (= fr. 3 Ko.) titulo apposito ἐν Θηραμένῃ, quod Schweighaeuserus mutavit in Θηραμένει probatum Meinekio et Kockio. Si recte, idem

---

288) Suppl. Coppiers.; εἰς τὸν κώρυκον Wilamow.

289) In adesp. fr. 207 (Ko. III 448) nomen proprium esse nego.

dicendum est, quod Meinek. l. l.: „Antiquiorem illum cognomine Cothurni quo minus intelligamus cum temporum rationes prohibeant, nescio an sub Theramenis nomine Cratinus hominem illius moribus et ingenio similem exagitaverit. Cfr. supra p. 275. [v. p. 81.] Nisi forte ille Demosthenis obtrectator intelligendus est, de quo queritur orator Epist. 4.“ Sed equidem hanc emendationem atque explicationem incertam esse puto, nec valde repugnem, si quis aliam proposuerit medelam, velut Θηρωμένη coll. titulis, quales sunt Antiphanis Ἀκοντιζομένη Ἁρπαζομένη, Alexidis Μανδραγοριζομένη, Apollodori Carysti Σφαττομένη, Posidippi Ἀποκληομένη, Menandri Περικειρομένη multique alii.

Porro hic ponendus Θωρύκιον titulus Heniochi, cuius memoria soli Suidae (v. Ἡνίοχ.) debetur; Meinek. h. cr. 422 Θωρυκίων scripsit, „cuius nominis exemplum habemus apud Aristophanis Ran. 365. 383. Nisi Θορίκιοι fabulae titulus fuit, quo nomine etiam Antiphanis drama inscriptum fuisse constat.“ Unde Kirchnerus in Prosop. Att. s. Ἡνίοχος nr. 6429 audacius annotavit quam certius: „fabula Θωρυκίων pertinet videlicet ad Thorycionem Aristoph. Ran. 363. 381.“ [290]) Nam quinto saeculo vel initio quarti Heniochum fabulas docuisse credibile non videtur, nisi erravit auctor Suidae s. n. Ἡνίοχος κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας (cf. Wagner Diss. p. 34. 50. 53. 54) et nisi falso supra (p. 38 sqq.) de eius Polyeucto atque ea, quae Urbes fortasse inscripta fuit, fabula disputavimus. Quas tamen coniecturas ibi prolatas magis existimo ad veritatis speciem accedere quam hanc istius indicis explicationem correctura nixam minime certa: opinetur enim quispiam veram inscriptionem fortasse fuisse Θωράκιον [291]) ita, ut cum similibus conferatur velut Σφενδόνη Amipsiae, Ἀσπίδι Menandri, Ἐγχειριδίῳ Sophili Philemonis Menandri, al.

---

[290]) Bene Aristophanis de Thorycione locum interpretatus est Van Leeuwen Mnemosyne XXIV (1896) 112.

[291]) Vox nunc legitur in novo comoediae fragmento Berl. Klassikertexte V 2, p. 113/4, v. 29, sed alio sensu.

Peritioribus relinquo explicandos titulos Ἰφιγέρων Strattidis vel Apollophanis (Mein. h. cr. 226; Ko. I 797 sq.; Iphicratem significatum esse coniecit Muhl l. l. [adn. 21] p. 116), Μητροφῶν Antiphanis? (Mein. h. cr. 328; Ko. II 74: nominis nullum exemplum novi nisi quod affert Fick-Bechtel p. 208), Μίλκων Alexidis (Mein. h. cr. 381: Ko. II 353; in uno soloque, quod Athenaeo debemus, fragmento (152 Ko.) Platonis mentio fit, sed ita, ut ante philosophi mortem fabulam scriptam esse nequaquam colligi possit).

Incertus est titulus Θηριππίδης Apollodori, quem ex Etymol. Gud. 342, 35 coniectura consecutus est Ritschelius Meinekio h. cr. 468 probante, reprobante FCG IV 457, ubi scriptorem, qualis est Alciphro, fragmentum decere dixit. Cf. Ko. III 295 (fr. 25) et Alciphr. ed. Schep. p. 157. Therippidis nomen Alciphron exhibet III 5 (Schep.). Titulus poetaque si certius traditi essent, de eo Therippide forsitan esset cogitandum, cuius in domo Lamia meretrix Demetrium Poliorcetam luxuriosissimo illo convivio excepisse dicitur ab eodem Alciphrone IV 16, 8; cf. Plut. Demetr. 27; Athen. III 101 e; IV 128 b; accensendum esset comoediae fr. inc. 303 (Ko. III 463). [292])

Non videtur huc pertinere Philisci Θεμιστοκλῆς (Suid. s. n. Φιλ.), quippe quam fabulam Philisci tragici poetae esse iam censuerit Meinek. h. cr. 424 (cf. Welcker Gr. Trag. p. 1265), nuper denuo affirmarit Wagner Diss. p. 54. Themistoclis fortuna tristis etiam Moschioni poetae materiam ad tragoediam componendam praebuit (cf. Nauck TGF² p. 812; Welcker Gr. Trag. p. 1048 sqq.; Ribbeck Rh. Mus. XXX [1875] 145 sqq.).

---

[292]) Therippidem Atheniensem praeter patruum Demosthenis (s. nr. 7238) nullum habemus apud Kirchn. — Nomen etiam Diod. Sic. XV 30 (*Θηριππίδας Λακεδαιμόνιος* a. 377).

MULIERUM NOMINA.

Sed nondum ad finem perducta est eorum, qui huc referendi sunt, titulorum tractatio: ei scilicet restant, qui a mulierum nominibus desumpti permulti ad nostram memoriam pervenerunt; quae nomina maximam partem meretricum esse non est, quod moneam. Sunt vero nonnulla excipienda, e quibus duo non parvi momenti esse puto propterea, quod posteriorum temporum comicos interdum etiam quae in externis gerebantur terris respexisse demonstrant et quodam modo ad primam, quam supra constituimus, titulorum classem videntur pertinere. Quam ob rem primo hic loco eos pono; sunt autem Diphili Amastris et Arsinoe Posidippi.

Diphili Ἄμαστρις.

Hunc titulum (Mein. h. cr. 450 sq.; Ko. II 543) iam Meinekius ad unicam, quae nobis quidem innotuit, mulierem sic appellatam rettulit, ad filiam fratris Darii Codomanni, quae primum in magnis illis nuptiis, quas Alexander a. 324 Susae celebravit, Cratero in matrimonium data postea Dionysio Heracleotae nupsit, quo mortuo (a. 306) sola, qui illius fuerat, principatum obtinebat, denique Lysimachi uxor facta est (302—300). Urbem, quam a se Amastridem denominavit, condidit. Postea a suis ipsius filiis interfecta est.[293])

Heracleensium res oculos Atheniensium ad se convertisse versibus illis declaratur, quibus Menander „ἥκιστα γ' ὢν λοίδορος“ obesi illius Dionysi mortui luxuriam illudit apud Athenaeum

[293]) Cf. de ea Droysen Gesch. d. Hellenism. I 2, 242; II 2, 14 adn.; 207; 236 sq.; 295; (319. 320;) Niese I 166; 276; 345; 354; 397; Wilcken apud P W I 1750.

XII 549 c = fr. 21—23 (Ko. III 10).[294]) Atque inprimis Diphilum utpote patria Sinopensem (Strab. XII p. 546; Anonym. de com. 18, p. 10 Kaib.), quae in illis regionibus fiebant, non neglexisse consentaneum est. Sed quanam ratione ista regina dramati argumentum praebuerit, hodie non magis perspicuum est quam aetate Meineki. Solum, quod superest, fragmentum Photiani lexici initio, quod nuper edidit Reitzensteinius, paulum commutatum est: cum enim e Suida s. v. Ἀθηναίας concludendum fuerit Diphilum in Amastride filiam Themistoclis Ἀθηναίαν ξένην appellasse, e Photio (s. eodem lemmate p. 40, 26 R.) nunc discimus Ionis Chii, cui melius sane convenit, commemorationem filiae Themistoclis esse: illius nomen in Suidae lexico excidit. Ergo nil Diphileae Amastridi relinquitur nisi vocula Ἀθηναία.

Posidippi Ἀρσινόη.

Nec plura e Posidippi Arsinoa (Ko. III 337) ad nos pervenere, proverbium βοῦς ἕβδομος (fr. 6 Ko.). Kockius quae l. l. dicit: „Plures fuerunt successorum Alexandri m. temporibus mulieres hoc nomine insignes, ex quibus unam significari consentaneum est", licet vera sint,[295]) tamen autumo unam ex illis satis notam fuisse atque quae nomen comoediae Atticae daret idoneam, uxorem dico sororiam Ptolemaei Philadelphi. Tempora eximie concinunt; de Posidippo enim haec annotat Suidas s. n.: τρίτῳ ἔτει μετὰ τελευτῆσαι τὸν Μένανδρον διδάξας (Menander mortuus est c. a. 293/2 [296]), quocum apte congruit locus, quo in catalogi victorum Dionysiacorum fragmento a Wilhelmio reperto atque nuper edito (Urk. p. 118) Posidippi

---

[294]) Unde concludere licet fabulam *Ἁλιεῖς*, ex qua illa fragmenta desumpta sunt, non multo post a. 305, quo anno Dionysius mortuus est (cf. Athen. l. l.; Kaerst ap. P W V 912; Niese I 345), scriptam esse.

[295]) Enumerantur a Wilckenio ap. P W II 1281 sqq.

[296]) *ἐπὶ ἄρχοντος Φιλίππου*, cf. Kaibel ad I G XIV 1184; Kirchn. Herm. XXXVII (1902) 438; id. Pros. Att. s. nr. 9875; W. Kolbe Ath. Mitt. XXX (1905) 73 sqq. — Cf. Clark Class. Philol. I (1906) 324 sqq.

nomen positum est. Quo anno Philadelphus sororem sibi matrimonio illo famosissimo iunxerit, non constat: factum est non multo ante a. 274/3.[297]) — Ipsam reginam Aegyptiam in comicam scaenam Posidippus introduxerit an mulierem fictam simile matrimonium ineuntem illius nomine ornaverit, nescio. (Postea meretricium nomen est Arsinoa in A P V 52; VI 174.)

His prolatis iam ad meretricios titulos — sic ut eos brevitatis causa appellem, concedant lectores — transeam. Quos tractanti eadem exsistit quaestio, quam perpetuo adhuc spectavimus: hae fabulae enim a meretricibus, quae temporibus poetarum in vita erant, accepisse possunt indices, possunt a mulieribus eius generis fictis. Atque illius notae comoediae exstant nonnullae infra memorandae, quamquam hoc animadvertimus famosissimarum ἑταιρῶν nomina plerumque in titulis comicis non inveniri, Sinopae dico Phrynae Pythionicae Gnathaenae. — Sed in duas classes eis similes, quas supra posuimus, hos titulos dividere nolo hac causa inductus, quod permultarum mulierum memoriam ad nos non pervenisse verisimile est, quia merito oblivione obrutae sunt, postquam desierunt florere; quamobrem nimis saepe errori obiecta esset, si quam periclitaremur, distributio. Deinceps igitur omnes titulos huc revocandos poetarum ordine chronologico, quantum licebit, servato[298]) enumerabimus eis sicut antea ad finem repositis, qui num pro propriis (hominum) nominibus essent habendi, nobis videbatur dubium.

Mediae comoediae scriptores haudquaquam primi vita meretricia in scaena depicta comicam poesin locupletarunt; gloria, si haec gloria est appellanda, debetur Pherecrati, de

---

[297]) Autumno vel aestate a. 274 secundum Ulricum Koehler Sitz.-ber. d. Berl. Akad. 1895, p. 971. Cf. Wilcken ap. P W II 1283; Niese II 99. — Coniugium commemorat satis honorifice atque urbane Alexis in Hypobolimaeo fr. 244 (Ko. II 386), qui poeta quin idem fuerit atque mediae scriptor, valde dubitat Hermannus Schoene; aliter Kaibel apud P W I 1468.

[298]) Ab eo tum deflectemus, cum duorum poetarum cognomines fabulae nobis occurrent: hae uno loco tractabuntur.

quo ab illius aetatis comoediae ratione alieno haec annotat Anonym. de com. 8 (p. 8 Kaib.): καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη, πράγματα δὲ εἰσηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει γενόμενος εὑρετικὸς μύθων.

Pherecratis Κοριαννώ.

Primum locum teneat eius Κοριαννώ (Mein. h. cr. 83 sq.: Ko. I 162 sqq.), quam fabulam a meretrice nominatam esse diserte testatur Athen. XIII 567 c, quem locum utpote saepius nobis afferendum hic exscribo: καὶ ἄλλα δὲ πολλὰ . . δράματα ἀπὸ ἑταιρῶν ἔσχε τὰς ἐπιγραφάς, Θάλαττα Διοκλέους, Φερεκράτους Κοριαννώ, Εὐνίκου ἢ Φιλυλλίου Ἄντεια, Μενάνδρου δὲ Θαὶς καὶ Φάνιον, Ἀλέξιδος Ὀπώρα, Εὐβούλου Κλεψύδρα. At persona ab ingenio poetae procreata sit an meretricem tunc temporis Athenis florentem repraesentarit,[299]) incertum est. E fragmentis licet colligere poetam primariae suae personae vinolentiam diligenter descripsisse,[300]) quae tamen ne in comoedia quidem meretricum solarum propria erat.[301])

Pherecratis Ἐπιλήσμων ἢ Θάλαττα. Dioclis Θάλαττα.

Deinde commemoranda Pherecratis Ἐπιλήσμων (vel -ονες) ἢ Θάλαττα (Mein. h. cr. 82 sq.; Ko. I 159 sq.), etsi minime

---

[299]) Quod Anonym. l. l. profert „τοῦ λοιδορεῖν ἀπέστη“, huic opinioni non repugnat; hoc videtur dicere voluisse, Pherecrati non eodem modo quo Cratino Eupolidi Aristophani in comoediis rem fuisse cum summa re publica eiusque gubernatoribus; Corianno verane fuisset meretrix an ficta, ipse certe nesciebat.

[300]) Hanc ob rem Bechtel Fr. p. 105 arbitratur eius ad bibendum proclivitatem ipso nomine denotari, nempe a κορίαννος deducto, quae planta multo indigeat umore (Theophr. περὶ φυτῶν VII 1, 3): tamen personam haudquaquam pro inventa videtur habere, cf. ib. p. 118.

[301]) Cf. de magnis, quas anus vinosa in comoedia actitabat, partibus Guil. Suess Diss. (v. adn. 147) p. 127 sqq. — Athen. X 440 d - 442 a. — E media cf. e. g. Antiphan. fr. 146 (Ko. II 70); Eubul. fr. 43 (II 179); 80—82 (v. supra p. 62 sq.); 127 (Ko. II 209); Nicostr. fr. 19 (II 224 sq.); Dionys. fr. 5 (II 427). — Sed non desunt meretrices vini studiosae: cf. Theop. fr. 40. 41 (? v. infra p. 118); Eubul. fr. 124/5 (Ko. II 209) = Alex. fr. 282 (II 400); Alex. fr. 223 (II 379, de Nannio); 253, 5 (389); Epicrat. fr. 2/3, 5 (de Laide); Axionic. fr. 5 (? cf. infra p. 119).

negari potest posteriorem tituli partem fortasse non ab ipso poeta profectam esse.[302]) — Quod ad explicationem attinet vocis Θάλαττα, non dubito, quin recte cum Dioclis fabula, quae sic audit (Mein. h. cr. 251; Ko. I 767) Meinekius contulerit, quam a meretrice nomen[303]) invenisse auctor est Athen. l. l. (supra p. 114). Quo loco quod Athenaeus Dioclis comoedia allata de Pherecratis tacet, non evincitur Meineki coniecturam esse explodendam, quod voluit Haasius l. l. I 48; nam minime Athenaeus illic integrum catalogum titulorum meretriciorum profert, id quod luculentissime ea, quam conamur, enumeratione demonstratur.[304]) Hic ne exempla desiderentur, conferas ex eorum, quos illo loco Athenaeus laudat, poetarum numero Eubuli Νάννιον, Πλαγγόνα, Alexidis Πολύκλειαν omissa: porro quod unum sufficiat, etiam Hipparchus fabulam Θαΐς inscriptam composuit ab ipso Athenaeo alio loco (XI 484 d e) citatam, hic omissam, cum Menandri comoedia cognominis afferretur.

In duorum poetarum titulis quod idem meretricis nomen legitur, eius quodammodo favet opinioni, qui mulierculam, quae quinto saeculo Athenis fuit, comoediae nomen dedisse autumet. Tamen vereor, ne Diocles forsitan Pherecratis mortui fabulam suam factam denuo in Dionysiacum theatrum demiserit. Neque enim dubium videtur, quin illius comoedia posterior sit, qui secundum Suidam s. n. σύγχρονος Σαννυρίωνι καὶ Φιλυλλίῳ fuerit (cf. Mein. h. cr. 251; Kirchn. s. nr. 3985; Kaibel apud P W V 796). Sannyrion autem et Philyllius posterioribus antiquae comoediae temporibus fuere, i. e. quinti saeculi fini, initio quarti: Sannyrio[305]) paulo post a. 408

---

[302]) Sic Bender Diss. p. 44; duplex titulus semel apud Athen. VIII 365 a = fr. 52 Ko., semel *ἐν Θαλάσσῃ* fr. 53 Ko. (ubi *Φερεκύδης ἐν Θαλάσσῃ*, quod corr. Mein.), quinquies *ἐν Ἐπιλήσμονι* (vel *Ἐπιλήσμοσι*).

[303]) Cf. Fick-Bechtel p. 305. 332; praeterea Archipp. fr. 24 (Ko. I 683) et Athen. XIII 586 b = Hyperid. fr. 121 Blass.[3]

[304]) Cet. cf. Ko. III 714; Nauck Aristoph. Byz. p. 277 sq. adn. 11; Bender Diss. p. 51 adn. 4.

[305]) Cf. de eo Mein. h. cr. 263; Kirchn. s. nr. 12554; eius memoria in lapidibus nusquam servata est.

Danaen suam docuit: in ea enim Hegelochum histrionem tragicum illusit, qui in Euripidis Oreste partes suas male egerat (fr. 8, Ko. I 794; Cobet Plat. com. p. 51; Zelle Diss. (v. adn. 28) p. 55); ipse deridetur ab Aristophane in Gerytade (fr. 149, 8, Ko. I 428; a. 407, cf. infra p. 123) et a Strattide in Cinesia (fr. 20, Ko. I 716; init. IV. saec., cf. supra p. 28 sq.). Philyllium [306]) aetatis fuisse supra memoratae ex eo discimus, quod inferiore demum loco eius nomen in victorum Lenaicorum laterculo occurrit (I G II 977 d col. II v. 10 = Wilh. Urk. p. 122 sq.). Ante a. 392 fabulas eum scripsisse certo scimus, quod a Strattide in Potamiis ante Aristophanis Ecclesiazusas doctis ridetur (schol. Arist. Plut. 1194 = Stratt. fr. 37, Ko. I 722). Quae cum ita sint, Thalatta meretrix fuerit vera an ficta, certo sciri nequit.

Pherecratis Πετάλη.

Et tertia quoque Pherecratis comoedia hac in classe collocanda est, Πετάλη (Mein. h. cr. 86 adn. 39; Ko. I 184 sqq.), si Meinekium audis, qui l. l. haec: „Πετάλη meretricis nomen fuit, commemoratum ab Herodiano de dict. solit. p. 39 3. Hesychius, Πέταλα: ὄνομα ϑήλεια. Fortasse scribendum Πετάλη: ὄνομα ϑηλείας“ etc. Atque meretrices cognomines identidem apud Alciphronem habemus (IV 8. 9. 13, 3. 14, 2 Schep.) et apud Aristaenetum I 25. [307]) Cur autem poeta hoc nomen elegerit, fortasse possumus cognoscere ex illo comoediae fragmento, quod servavit Athenaeus IX 395 c (= fr. 135 Ko.)

ἀλλ᾽, ὦ περιστέριον, ὅμοιον Κλεισϑένει
πέτου, κόμισον δέ μ᾽ εἰς Κύϑηρα καὶ Κύπρον,

de quo sic recte, ut videtur, Ko.: „Venus aut puellula loqui videtur, quae, ut Trygaeus cantharo, columba vehi volebat“; sed non Venerem loqui puto, immo ipsam Πετάλην, atque opinor poetam, cum personae suae nomen indere vellet et ex

---

[306]) Cf. de eo Mein. h. cr. 258; Kirchn. s. nr. 14 796.
[307]) Cf. A P IX 245; Prop. V 7, 43. Wendel l. l. (adn. 144) p. 57.

vitae usu notum[308]) et quodammodo cum illius volandi (πέτεσθαι) conaminibus cohaerens, illud sibi delegisse.[309]) Quod si recte disputatum est, miro modo hanc Pherecratis comoediam cum Aristophanis Pace congruentem videmus, et dolendum sane est, quod nescimus, uter ab utro pendeat: enimvero quo anno Πετάλη docta sit, non potest definiri; hoc commemoro, Melanthium tragicum, quem in Πετάλη illusit Pherecrates (fr. 139 Ko.), et in Pace carptum esse (v. 804) et in iis fabulis, quae una cum Pace in scaenam demissae sunt, in Adulatoribus Eupolidis (fr. 164, Ko. I 304) et in Leuconis Φράτερσιν (fr. 2, I 704); qua re nisus forsitan eidem fere tempori Petalam ascripseris,[310]) sed res incerta, quia illius tragici etiam in Avibus Aristophanis (v. 151) mentio fit nec non post a. 403/2 in Archippi Piscibus (fr. 28, Ko. I 685).

Theopompi et Alexidis Παμφίλη.

Meretrici aptum est nomen Παμφίλη,[311]) quo inscriptae fabulae exstiterunt Theopompi et Alexidis (Mein. h. cr. 241. 401; Ko. I 744 sq. II 360), atque titulum aliter intellegere nolim, quamquam apud comicos Romanos hoc nomine etiam matronae et virgines designabantur.[312]) In Menandri Ἐπιτρέπουσιν uxori Charisii hoc nomen est.[313]) — Theopompi et Alexidis

---

[308]) Cf. I G II 1796 *Πετ[άλ]η Φαί[δρ]ου Ἁλαι[έω]ς* tit. sep. Kirchn. s. nr. 11 816.

[309]) Non ignoro nomen ab harum rerum peritis a *πέταλον* (folium) vel adiectivo *πέταλος* (patens) repeti (cf. Bechtel Fr. p. 101; Sondag Diss. p. 49) neque contendo ex verbo *πέτεσθαι* illud derivatum esse; sed ex eadem radice et *πέτεσθαι* et *πέταλος* - *πέταλον* - *Πετάλη* ducta sunt, quamobrem Graecorum aures unum audientes alterum subaudiebant.

[310]) Cf. Bergk rell. p. 291; Muhl Progr. (v. adn. 21) p. 87.

[311]) Cf. Archiloch. apud Athen. XIII 594 d = fr. 19 Bergk[4]

συκῆ πετραίη πολλὰς βόσκουσα κορώνας,
εὐήθης ξείνων δέκτρια Πασιφίλη.

[312]) Plaut. Stich. (mulier, uxor) (?); Ter. Ad. 619 (virgo); Eun. 440. 442. 624. 796. 827. 1036 (Thaidis soror alumna). Sed Phorm. 310. 510. 517 fidicina.

[313]) Men. fr. 566 (Ko. III 173) traditum est *Πάμφιλε*, quod, quamvis levis mutatio sit *Παμφίλη*, retinendum est, quoniam, qui colloquantur, plane nescimus; si recte mutatur, etiam illic *γαμετή* sic appellabatur.

comoediae vix ad eandem certam meretricem referri possunt. Floruit Pamphila quaedam medio saeculo quarto, cuius parasitus Satyrus histrio fuisse fertur apud Athen. XIII 591 d e. Quae num Alexideae comoediae nomen dederit, nescio. Potuit sane hoc nomine etiam ficta persona designari. — Athenaeus cum Theopompi comoediae eosdem versus bis (XI 485 b et e) paulum mutatis verbis afferat, Schweighaeuserus fabulam retractatam esse conclusit, quod verisimile esse puto. Quibus in fragmentis (40. 41 Ko.) si de ipsa Pamphila est sermo, denuo nobis meretrix occurrit bibendi cupida (cf. supra p. 114). In fr. 43 ῥαγιστὴς Δημοφῶν commemoratur, quem eundem esse coniecit Kockius atque illum, cuius δράματ' εἰς Κότυν Ephippus fr. 16 (Ko. II 259) laudat vel potius vituperat. Quod si rectum est, Theopompi Pamphila quarto saeculo ascribi debet: nam Ephippi comoediam Ὅμοιοι ἢ Ὀβελιαφόροι, e qua illud fragmentum petitum est, paulo post Dionysi tyranni victoriam Lenaicam doctam esse propter ipsum illud fragmentum opinor (cf. supra p. 31 c. adn. 56). Sed alii fuerunt Demophontes, velut praetor a. 379/8 (Schaefer Dem.² I 20 adn. 1; Kirchn. s. nr. 3693); praeterea uni ex illis Hippocratis filiis ab Aristophane et Eupolide saepius irrisis [314] hoc erat nomen. Quos etiam quarto saeculo in vita fuisse e Lysiae in eos oratione perspicitur (Sauppe O A II 190; Bergk rell. 349; cf. Kirchn. s. nr. 3701 et 13541 [Τελέσιππος]). Quae cum ita sint, Kocki coniecturam incertam esse concedes.

Alexideae Pamphilae tantummodo duo fragmenta supersunt; alterum (170 Ko.) docet amatorem, Pamphilae opinor, nomine Ctesonem partes egisse, quem propter divitias fortasse sic appellare poetae placuit. [315]

E solis titulis vix licet conicere Alexidem suam Pamphilam a Theopompo mutuatum esse.

---

[314]) Cf. Arist. Nub. 1001 c. schol. — Schol. Thesm. 273. Arist. fr. 112. 557 (Ko. I 420. 533); Eupol. fr. 103 (I 285). [Callias fr. 31 (I 699).]

[315]) Cf. Fick-Bechtel p. 179. — Duodecim Ctesones apud Kirchn. I 600 sq. II 471. — An fortasse *Κτήσων ἐκ Κεραμέων* intellegendus, cui cum meretricibus consuetudo erat (v. Or. c. Neaer. § 48)?

Hegemonis Φιλίνη et Axionici Φίλιννα.

Antiquae comoediae aetati accensendum est unicum illud drama, quod conscripsisse traditur Hegemon Thasius, is qui maiorem gloriam parodiis suis consecutus est. De comoedia illa hoc dicit Athen. XV 699 a: γέγραφε δὲ καὶ κωμῳδίαν εἰς τὸν ἀρχαῖον τρόπον,[316]) ἣν ἐπιγράφουσιν Φιλίνην (Mein. h. cr. 214 sq.; Ko. I 700). Unum fragmentum eidem Athenaeo (III 108 c) debemus. Comoediam a meretrice appellatam crediderim sive vera sive ficta, neque aliter Axionici Φίλινναν (Mein. h. cr. 418; Ko. II 414):[317]) nomina per Φιλ- formata meretrices decent;[318]) Φίλιννα ἡ Λαρισσαία ὀρχηστρίς in paelicibus erat Philippi Macedonis, mater Arrhidaei (Athen. XIII 557 c. 578 a). — Fortasse haec quoque meretrix, quam Axionicus in scaenam induxit, ad bibendum prona erat, v. fr. 5 Ko. γυναικὶ δὴ πίστευε μὴ πίνειν ὕδωρ (cf. supra p. 114).

Eunici vel Philyllii, Antiphanis, Alexidis Ἄντεια.

Athenaei illo loco supra exscripto (p. 114), quo enumerantur nonnullae comoediae, quae ἀπὸ ἑταιρῶν ἔσχον τὰς ἐπιγραφάς, etiam Εὐνίκου ἢ Φιλυλλίου Ἄντεια commemoratur; praeterea semel Anteae Eunici[319]) mentio fit (apud Poll. 10, 100, cf. Mein. h. cr. 250; Ko. I 781). De hac Antea apud ipsum Athenaeum

---

[316]) Hoc ita intellego, ut contrarie dictum putem illis parodiis, de quibus Athenaeus antea disseruerat; cf. Ko. l. l. Nam quinto saeculo fuisse Hegemonem narratiunculae illae ostendunt, quas e Chamaeleonte servavit Athen. IX 407 a b c.

[317]) *Φίλιννα* Arist. Nub. 684; cf. Bechtel Fr. p. 36; anus illa fortis in Men. Georg. sic nominabatur: cf. v. 22. 28. 86. In vita e. g. I G II 1854. 3938. 4233—35. 4302 tit. sep. — Luc. dial. mer. 3 (cf. Wendel l. l. [adn. 144] p. 38 adn. 82); *Γλυκέρα Φιλίννη* Aristaen. ep. II 3 (p. 159 Herch.). Nec non *Φιλῖνος* usitatum: Men. *Περικειρ.*; Strat. fr. 1, 13 (Ko. III 362); Apollod. fr. 7 (III 290); adesp. fr. 131 (III 434).

[318]) Cf. *Φιλῶτις* infr. p. 130; *Φίλα* Philet. fr. 9, 5 (cf. p. 123); *Φιλοξένη ἡ ἑταίρα* Aesch. I 115.

[319]) Eunicus, poeta obscurus, una cum Aristophane et Philyllio dubitanter auctor vocatur comoediae, quae *Πόλεις* nominabatur, cf. Philyll. fr. 13 (Ko. I 785); Kaibel ap. P W VI 1128.

hanc invenimus coniecturam (XIII 586 e): Λυσίας δ' ἐν τῷ πρὸς Λαΐδα, εἴ γε γνήσιος ὁ λόγος, τούτων (sc. ἑταιρῶν) μνημονεύει· „Φιλύρα γέ τοι ἐπαύσατο πορνευομένη ἔτι νέα οὖσα καὶ Σκιώνη καὶ Ἱππάφεσις καὶ Θεόκλεια καὶ Ψαμάθη καὶ Λαγίσκα καὶ Ἄνθεια." μήποτε δὲ δεῖ γράφειν ἀντὶ τῆς Ἀνθείας Ἄντειαν. οὐ γὰρ εὑρίσκομεν παρ' οὐδενὶ Ἄνθειαν ἀναγεγραμμένην ἑταίραν[320]), ἀπὸ δὲ Ἀντείας καὶ ὅλον δρᾶμα ἐπιγραφόμενον, ὡς προεῖπον (p. 567 c, v. p. 114), Εὐνίκου ἢ Φιλυλλίου Ἄντειά ἐστιν. καὶ ὁ τὸν κατὰ Νεαίρας δὲ λόγον γράψας μνημονεύει αὐτῆς.[321]) Orationis c. Neaer. locus quem respexit est [Dem.] LIX 19, qui etiam postea nobis considerandus hic exscribatur: §§ 18. 19 ἑπτὰ γὰρ ταύτας παιδίσκας ἐκ μικρῶν παιδίων ἐκτήσατο Νικαρέτη, Χαρισίου μὲν οὖσα τοῦ Ἠλείου ἀπελευθέρα, Ἱππίου δὲ τοῦ μαγείρου τοῦ ἐκείνου γυνή ..... (19) προσειποῦσα δ' αὐτὰς ὀνόματι θυγατέρας .... Ἄντειαν καὶ Στρατόλαν καὶ Ἀριστόκλειαν καὶ Μετάνειραν καὶ Φίλαν καὶ Ἰσθμιάδα καὶ Νέαιραν ταυτηνί κτλ. Atque equidem huic opinioni, e qua Antea apud Lysiam laudata, a Demosthene commemorata, in titulo Philylli vel Eunici nominata eadem mulier fuisse dicitur, prorsus assentiendum puto: quam cum secundum Lysiam mature quaestum corpore facere desierit, decennio fere 390—380 floruisse ponamus. Quocum congruit aetas Philylli (cf. supra p. 116), aetas Lagiscae una cum Antea a Lysia memoratae, quae Isocratis amica erat[322]), aetas Metanirae (or. c. Neaer. l. l.), quam Lysias

---

[320]) Ἄνθεια meretricis nomen est apud Theoph. Sim. ep. 60 (p. 780 Herch.); Ἄνθεια primarias partes agit apud Xenophontem Ephesium; heroidis nomen Ἄνθεια legitur apud Clem. Alex. Strom. II 15 (p. 463 P = II 147 Staehlin).

[321]) Eundem Lysiae locum Dipnosophista paulo post iterum affert post Ἄνθεια addens „καὶ Ἀριστόκλεια".

[322]) Antequam Plathanam uxorem orator duxit: nam a Strattide in Atalanta propter Lagiscae amorem irridetur fr. 3 (Ko. I 712) (cf. Vit. X or. 838 a. 839 b; Blass Att. Bereds.² II, 2, 71 sq.; Kirchn. P. A. I p. 508 [non recte, ut videtur, Keil Anal. Isocr. p. 90 sqq.]). — Quoniam ad Strattidis Atalantam forte delata est disputatio, liceat commemorare iniuria Kockium fragmenta 6 et 7 Strattidi dedisse mihi videri (laudantur ὁ τὰς Ἀταλάντας συνθείς et ὁ τὰς Ἀταλάντας γράψας). Atalantae Strattideae tempus e

amasse perhibetur (ead. or. § 21 sq.; cf. Athen. XIII 592 b c. 593 f). Accedit, quod Antea meretrix una cum Lagisca in c o m o e d i a occurrit: in Anaxandridis Gerontomaniae versibus hisce (fr. 9, Ko. II 138):

τὴν ἐκ Κορίνθου Λαΐδ' οἶσθα; — πῶς γὰρ οὔ;
τὴν ἡμετέρειόν ⟨γ'⟩. — ἦν ἐκείνῃ τις φίλη
Ἄ ν τ ε ι α. — καὶ τοῦθ' ἡμέτερον ἦν παίγνιον.
— νὴ τὸν Δί', ἤνθει τότε Λ α γ ί σ κ', ἤνθει τότε[323])
καὶ Θεολύτη μάλ' εὐπρόσωπος καὶ καλή,
ὑπέφαιν' ἐσομένη δ' Ὤκιμον λαμπρὰ πάνυ.

Omnes mulierculae, quarum hic legimus nomina, admodum insignes erant nobisque aliunde sunt notae: de Laide v. infra p. 141 sqq.; Theolytam etiam apud Philetaerum invenies fr. 9 (Ko. II 232)[324]), Ocimum Nicostratus nominat fr. 21 (Ko. II

---

schol. Arist. Ran. 146 et Suid. s. v. *σκῶρ* discimus: *πολλῷ - ὕστερον τῶν Βατράχων δεδίδακται ἡ Ἀταλάντη Στράττιδος*, atque idem fere ex Isocratis Lagiscaeque commemoratione concludendum erat. Sed in altero illo fr. (6) Dionysius tonsor nominatur, quem iam a Cratino ludibrio habitum (v. Cratin. fr. 208, Ko. I 76) mihi nequaquam credibile videtur eundem denuo initio saeculi IV esse illusum. In fragmento 7 Opuntius irridetur, quem Aristophanes in Av. v. 153. 1294 et iam Eupolis in *Ταξιάρχοις* (schol. Ar. Av. 1294 = fr. 260, Ko. I 329; c. a. 427, cf. Wilamow. Obs. crit. p. 32 sqq.; Zelle Diss. [v. adn. 28] p. 12 sqq.) carpsere; quem iterum quarto saeculo illudi nego. — Nec fr. 5 Ko. extra dubitationem mihi videtur positum esse: traditum est in schol. Arist. Pac. 347: *ὁ δέ δεύτερος* (sc. *Φορμίων*) *ἦν κωφός · μέμνηται καὶ Στράττις. τρίτος μοιχός. Κρατῖνος Ἀταλάντῃ. τέταρτος Κροτωνιάτης ἀρχαῖος · Κρατῖνος Τροφωνίῳ*, ubi Dindorfius *Ἀταλάντῃ* post *Σράττις* transposuit titulum fabulae Cratini excidisse ratus (cf. Mein. h. cr. 57; coniectura nuper probata est ab Haasio l. l. I 12); sed quoniam Strattis non solus comoediam *Ἀταλάντῃ* inscriptam composuit, non minus recte titulum nescio quem post *Στράττις* excidisse conicias vitiumque in priore illo *Κρατῖνος* positum esse, ortum e posteriore; atque fortasse *Καλλίας Ἀταλάντῃ* scribendum coll. illo versu hac e comoedia solo tradito: *κέρδος αἰσχύνης ἄμεινον · ἕλκε μοιχὸν ἐς μυχόν* (= fr. 1, Ko. I 693): qui quamquam ut proverbium affertur, tamen fortasse de vero moecho hic sermo est. — Muhl Progr. (v. adn. 21) p. 13 Cratino ipsi ascribere vult Atalantam et fragmenta illa, quae *ὁ τὰς Ἀταλάντας συνθείς* scripsisse dicitur.

323) Trad. *λαγίσκη · ἦν δὲ τότε*: corr. Kaib.

324) Illa mulier, quam *γραῦ Θεολύτη* appellat conservus apud Theopomp. fr. 32, 5 (Ko. I 741), eadem sit nescio: *νέος ξύνδουλος* ille (v. 7)

225) et Eubulus fr. 54 (II 182) et Hyperides fr. 13 Blass[3] (= Athen. XIII 587cd), hic una cum Laide et Metanira: haec omnia respicienti non nimis audacter videbitur is conicere, qui hanc Anteam, quam Anaxandrides laudat, atque illam supra memoratam eandem censet. Sed tempusne concinit? — In Anaxandridis fragmento sermo est de mulierculis, quae floruerunt; quod titulo explicatur: nempe senum insania nil aliud est nisi pulchrarum meretricum amor, colloquuntur autem duo decrepiti illic de mulieribus, quas adulescentes arserant. Ergo si Antea eadem est, recte, ni fallor, comoedia Anaxandridea viginti fere annis post illam, quam supra posuimus, Anteae florentis aetatem collocatur, i. e. fere decennio 370—360. Atque haec coniectura alia ratione egregie confirmatur: Aristoteles enim cum Philemonem histrionem comicum in Anaxandridis Gerontomania partes agentem se vidisse ipse auctor sit (Rhet. 3, 12 p. 1413b 25 sq.), comoedia ante a. 367 docta esse non potest, siquidem eo demum anno Aristoteles Athenas venit (cf. Diog. Laert. V 6).[325]) — Et tertia quaedam consideratio coniecturae adiumento et: quisquis enim Philetaeri Venatricis fragmentum 9 (Ko. II 232) legerit hoc:

οὐχὶ Κερκώπη μὲν ἤδη γέγον’ ἔτη τρισχίλια,
ἡ δὲ Διοπείθους ἀηδὴς Τέλεσις ἕτερα μυρία;
Θεολύτην δ’ <οὐδ’> οἶδεν οὐδεὶς ὅτε τὸ πρῶτον ἐγένετο.

---

videtur fictus esse, quod ex nomine concludo *Σπινθήρ*, servo pernici apto (cf. Fick-Bechtel p. 330; idem nomen est servo in mimo Oxyrh., v. Oxyrh. Pap. vol. III [1903] p. 41 sqq., v. 133. 145. 153. 180. 186; cf. A P VI 306).

[325]) Si quis contenderit Aristotelem comoediam, cum iterum in scaena ageretur, vidisse, primam autem actionem ante annum 367 factam esse, ego non assentiar; quoniam primum a. 339 comoedia antiqua in scaena repetita est (Wilh. Urk. p. 27 sq.), post annum 335 demum Gerontomaniam Aristoteles spectare potuit, quo anno Athenas rediit. Sed vereor, ut tam diu Philemo (cf. de eo Voelker Diss. Hal. IV p. 211 sq.) floruerit: qui in Timarchea Aeschinis commemoratus (§ 115; a. 345) fortasse iam c. a. 370 victoriam scaenicam reportavit, cf. lapidem I G II 977 l et Wilh. Urk. p. 161. 193, inprim. 252, ubi id quod Philemonis antecedit nomen recte ut opinor *Σάτ]υρος* suppletur. (V. de Satyro Voelker l. l. p. 212 sqq.). — Ceterum etiam Anaxandridis fabulas denuo in scaena actas esse testatur inscriptio apud Wilh. Urk. p. 44 sq.: *παλαιᾷ [· · · · Θ]ησαυρῷ Ἀναξαν(δρίδου)*.

οὐχὶ Λαῒς μὲν τελευτῶσ' ἀπέθανεν βινουμένη,
Ἰσθμιὰς δὲ καὶ Νέαιρα κατασέσηπε καὶ Φίλα;
Κοσσύφας δὲ καὶ Γαλήνας καὶ Κορώνας οὐ λέγω.
περὶ δὲ Ναΐδος σιωπῶ · γομφίους γὰρ οὐκ ἔχει, —

et cum illo Gerontomaniae supra exscripto (p. 121) comparaverit — Theolyte et Lais (v. 3. 4) illic in v. 5 et 1 — eodem fere tempore ambas comoedias doctas esse concedet. Venatricis autem tempus certius fortasse licet definire: in fragmento 6 Phormisius quidam commemoratur mortuus, qui cum nomen rarum fuerit apud Athenienses (tres apud Kirchnerum) non diversus videtur esse ab illo oratore, quem identidem comoedia perstringebat: Arist. Ran. 965 (a. 405), Ecclesiaz. 91 (a. 392), Plat. Πρέσβεσι fr. 119 (Ko. I 633; c. a. 395—392/1, cf. Felix Staehelin Klio, Beitr. z. alt. Gesch. V [1905] p. 59); is cum Cephalo (cf. supra p. 99) Thrasone (cf. p. 61) Eleo egit, ut Thebani exsules redirent Lacedaemoniique Cadmea expellerentur (Din. I 38; cf. Schaefer I^2 143) a. 379/8: qui annus, cum postea quicquam egisse Phormisium non sit traditum, huius comoediae terminus post quem qui vocatur putandus est. — Deinde e meretricum illo catalogo num quid de aetate fabulae possit effici, videndum. Cui in v. 7 maledicitur, Naidem eandem esse atque illam mulierculam celeberrimam sic nominatam te concessurum spero. De qua inprimis vide Athen. XIII 592 c d; cf. 586 ef; Harpocr. s. v. Ναΐς. Primum, quantum nostra quidem pertinet scientia, in comoedia nominatur ab Aristophane in Gerytade (Ath. l. l. Harp. l. l. = fr. 170, Ko. I 433), quam comoediam a. 407 doctam esse Usenerus admodum probabilibus argumentis nisus demonstravit (Fleck. Jahrb. 139 [1889] p. 375 sq.): itaque non post annos fere 425—23 Nais potest nata esse.[326]) Sed floruisse videtur praecipue initio quarti saeculi: tum temporis a Philonide (de quo cf. supra p. 29 sqq.) amabatur (Lysias apud Athen. l. l.; cf. Hanovius Exerc. crit.

[326]) De meretricum aetate cf. Plaut. Cist. 755 et 86 sqq.

p. 31 sqq.),[327]) ab Alcidama, Isocratis adversario, proprio encomio praedicata est (cf. Athen. l. l.: Sauppe OA II 155; Blass Att. Bereds.² II 2, 346; Brzoska apud PW I 1536). Habuit igitur Nais, si recte eius annum natalem supra posuimus, a. 375 quinquaginta fere annos, a. 365 fere sexaginta. Post hunc annum opinor eam desitam esse ut meretricem in comoedia Attica memorari. Sed ne multo quidem ante hunc annum fabulam scriptam crediderim propter illius fragmenti versum 5: Ἰσθμιὰς δὲ καὶ Νέαιρα κατασέσηπε καὶ Φίλα[328]): quem si cum fine catalogi meretricum filiarum quae vocantur Nicaretae, quem exhibet or. c. Neaer. § 19 (v. supra p. 120), contuleris (καὶ Φίλαν καὶ Ἰσθμιάδα καὶ Νέαιραν ταυτηνί), sane non dubitabis, quin eaedem feminae utroque loco designentur. Neaera autem circiter a. 380 adulescentula quaestum facere coepit (c. Neaer. § 22) et decennio insequenti (c. a. 380—370) in summo flore videtur fuisse (ib. §§ 24 sqq.; anni 374/3, 373/2, 371/70 accurate archontibus appositis memorantur §§ 33. 35. 37) et post annum 371/70 Phrynion amator pristinus eam habere cupiebat: quare ante hunc annum, nisi nimis magna superlatione usus hoc loco poeta locutus est, eam κατασεσηπέναι non potuisse dici autumo; in vita erat multo etiam post, quandoquidem c. a. 343 demum accusata est. Ergo Philetaeri Venatricem fere annis 370—65 ascribo.[329]) Ad idem fere

[327]) Quae coniectura apud Athen. l. l. et Harpocr. profertur, Arist. Plut. 179 pro *Λαΐς* scribendum esse *Ναΐς* opinantes, versibus 302 sqq. Pluti refelli videtur; cf. Bergk rell. p. 403. Probavit coniecturam nuper et textui Aristophaneo intulit van Leeuwen ed. Plut. 1904 (cf. ad vers. et prolegg. p. XXIV sqq.). Sed nusquam traditum est etiam Naidem Corinthi vitam degisse: immo e Lysiae verbis videtur colligendum esse Naidem habitasse Athenis; quare de illa mutatione etiam nunc dubito (cf. infra adn. 359).

[328]) Cf. Arist. Plut. 1034 sq. *ὑπὸ τοῦ γὰρ ἄλγους κατατέτηκ' ὦ φίλτατε. — οὔκ, ἀλλὰ κατασέσηπας, ὥς γ' ἐμοὶ δοκεῖς: σαπραί* vetulae in comoedia dici solebant, cf. Suess Diss. (v. adn. 147) p. 126. — Praeterea cum Philet. fr. 9, 1 et 2 cf. Plut. v. 1082 sq. (v. van Leeuwen ad loc.).

[329]) Ceterarum meretricum nomina de tempore nil videntur docere; lubet commemorare in diversis mulierculis nomine *Κορώνη* (Philet. v. 6)

tempus pervenimus, ad quod ratiocinationes de Gerontomania Anaxandridis supra adhibitae nos perduxere. Quae cum ita sint, ne florentis quidem Anteae aetatem falso supra me posuisse crediderim et decennio 390—80 etiam Eunici vel Philylli comoediam cognominem scriptam esse conicio.

Sed exstabat Antiphanis quoque Antea (Mein. h. cr. 322; Ko. II 24 sq.), quam Meinekius ad meretricem referre noluit l. l.: „quamquam . . Antea famosissimae meretricis nomen est . . Antiphanis tamen fabula an non ab eodem scorto denominata sit, certe dubitari potest, siquidem Athenaeus XIII p. 567c, ubi de meretricibus agit quae comoediis nomen et argumentum praebuerunt, Eunici quidem et Philyllii Anteas commemorat, de Antiphanis autem fabula ne verbum quidem addidit. Similiter p. 586e . . . . Itaque Antiphaneam fabulam ad Iobatae filiam Bellerophontis amore famosam, Homer. Iliad. VI 160 . . . . spectasse coniicio." Sed idem argumentum supra (p. 115) nil nobis videbatur valere: denuo meminerit velim benevolus lector Menandreae Thaidis illo loco Athenaeo commemoratae, Hipparcheae postea laudatae ibi neglectae. — At etiamsi redarguitur hoc argumentum, tamen comoediam posse sane ad fabulosam illam Anteam spectavisse dicas; concedo:[330]) sed cum fabula, si a scorto denominata est, in primarum Antiphanis comoediarum numero habenda sit, hoc

unam memorari, cuius proprium nomen Θεόκλεια fuisse dicitur (Athen. XIII 583 e): Theoclea autem quaedam apud Lysiam occurrit (in or. πρὸς Λαΐδα) inter eas, quae ἐπαύσαντο πορνευόμεναι ἔτι νέαι οὖσαι, una cum Lagisca, Antea etc. (cf. p. 120). Non videtur eadem Corona hic apud Philetaerum nominari quae apud Menandrum in Adulatore (fr. 295, cf. p. 132), ut voluit Koertius Berl. phil. Woch. 1907, 647, etiamsi haec comoedia Menandrea quarto saeculo scripta est, quod viro docto libenter concedo. — Diopithes ille (v. 2) quis fuerit, nescimus: fortasse est ille Μελιτεύς, qui harum meretricum consuetudine usus esse in or. c. Naer. § 48 fertur (Kirchn. s. nr. 4322). Nulla videtur causa esse, cur Menandri patrem intellegamus (Κηφισιέα, Kirchn. s. nr. 4319), ut voluit Mein. h. cr. 349 adn.

[330]) Quamquam in comoedia nomen Stheneboea exspectatur: tragici enim sic Anteam appellabant (cf. Apollod. II 2, 1, 3); Euripidis tragoediam Σθενέβοια v. apud Nauck T G F² p. 567 sqq.

ipsum autem alia ratione videatur firmari, ad meretricem comoediam pertinuisse equidem haud minus verisimile existimo. Ex Athenaeo enim XV 690 a = fr. 35 comperimus Antiphanem in Antea Peronem unguentarium memorasse:[331]) idem Pero a Theopompo comico nominatur in Admeto et Ἡδυχάρει (fr. 1. 16, Ko. I 733. 737), qui poeta et fragmentis et comicorum victorum laterculis lapidibus incisis (I G II 977 kd = Wilh. Urk. p. 106 sq. 122 sq.) posterioribus antiquae comoediae temporibus accensetur (cf. de eo Kirchn. s. nr. 7010). Praeterea Peronis mentionem habuit Anaxandrides in Protesilao fr. 40 (Ko. II 151), cuius fabulae tempus potest definiri: fragmento enim admodum longo (apud Athen. IV 131 a sqq. = 41 Ko.) nuptiae Iphicratis cum Cotyis filia, regis Thracum, celebratae illuduntur, quae paulo post a. 383 fuerunt (cf. Schaefer III¹ Beil. 142. I² 268; Kirchn. s. nr. 7737[332]), atque verisimile est comoediam illas nuptias brevi tempore secutam esse: ergo Protesilaum Anaxandrideam annis fere 381/80 assigno.[333]) Quod huic coniecturae repugnet, nil video; prima victoria Anaxandridis in annum 377/6 cadit, iam anno 382 eum docuisse traditum est I G XIV 1098 v. 4 (ἐπὶ Φανοσ]-

---

[331]) Nomen quamquam in versibus ab Athenaeo allatis corruptis non legitur, tamen non inesse non potest.

[332]) Tum temporis Iphicrates in Thracia versabatur; Menestheus, eius filius, e Thressa ei natus (Nep. Iph. 3) ante a. 362 in matrimonium duxit Timothei filiam (i. e. ante orationem Apollodori in Timotheum habitam, Dem. XLIX, v. § 66); idem iam a. 357 praetor erat; cf. Kirchn. s. nr. 9988.

[333]) Quod si verum est, I G XIV 1098 v. 10 sq. ad a. 367 *Πρωτεσίλαος* suppleri nequit, ut voluit Kaibelius (cf. Wilh. Urk. p. 200. 202). — Quod Rehdantzius (Iphicr. etc. p. 31) suspicatus est, versibus 20 sqq. poetam significare voluisse Athenienses post Cadmeam liberatam dubios, Lacedaemoniorum partes sequerentur an Thebanorum, ut sagaciter excogitatum ita incertum est. — E Peronis commemoratione quicquam de tempore effici posse negavit Cappsius Am. Journ. of Phil. XXI (1900) 57; sed eius de Antiphanis aetate sententia improbabilis mihi videtur atque omnino non est necessaria, si duo erant Antiphanes, id quod probare nuper studuit alius aliis usus argumentis et Wagnerus Diss. p. 33 adn. 5 et Wilh. Urk. p. 55 sqq.

τράτου.)[334]) Neque cetera Protesilai fragmenta non congruunt: in fr. 40 Callistratus et Melanopus memorantur hic illius adulator, quode conferas Bergk rell. p. 405, Mein. et Ko. ad fr., Kirchn. s. nr. 9788. Callistratum iam a. 392/1 rem publicam capessivisse nuper e Didym. comm. in Dem. col. 7,25 didicimus. — Ergo cum Pero a Theopompo nominetur et ab Anaxandride in comoedia primis eius temporibus attribuenda, non contra speciem veritatis nos puto peccare, cum etiam Antiphanis Anteam eiusdem fere temporis fuisse dicimus et ad meretricem pertinuisse.

At haec coniectura nonne corruit, cum reputamus Alexidem istam Antiphanis comoediam renovatam in suum usum vertisse? Nam hoc memoriae prodidit Athen. III 127 b nonnullis Anteae Antiphaneae versibus allatis haec addens: τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο δρᾶμα φέρεται καὶ ὡς Ἀλέξιδος ἐν ὀλίγοις σφόδρα διαλλάττον (cf. Mein. h. cr. 322 sq. 393; Ko. II 301): Alexis certe multo minor natu fuit illa meretrice. At tamen existimo etiam Alexidis comoediam ad meretricem potuisse spectare: ipsae illae mutationes, quae in Antiphanea fabula necessariae videbantur retractanti, ad eas res videlicet pertinuerunt, quas eius aetatis spectatores intellegere non possent. Ceterum consentaneum est poetas etiam in iis comoediis, quas a certis meretricibus denominabant, saepius suas primarias personas talibus coloribus depinxisse, quales ad quamlibet aliam eiusdem generis mulierem effingendam poterant adhiberi.

Antiphanis Ἀρχιστράτη.

Transeamus ad ceteras Antiphanis comoedias, quas hic collocari necesse est. Atque prima sit Ἀρχιστράτη[335]) (Mein.

---

[334]) De Anaxandride cf. Mein. h. cr. 367 sqq.; Kaibel apud P W I 2078; Koerte Rh. Mus. LX (1905) 425 sqq.; Wilh. Urk. p. 200 sqq. — Cf. supra adn. 86.

[335]) Traditum est *Ἀρχιστράτη* (Athen. VII 322 c = fr. 43 Ko.) (non *Ἀρχεστράτη*), quod Kaibelius et in textu et in indice retinuit, cum ceteri Casaubonum, qui *Ἀρχεστράτη* scripsit, sequerentur. Mihi illa forma non

h. cr. 329; Ko. II 27 sq.), quod nomen quamquam Athenis etiam civium uxoribus esse solebat,[336]) tamen hoc in titulo meretricis fuisse credo. Aliam quidem meretricem cognominem non novi: in comoedia Plautina habemus Archestratam nutricem Planesii Curc. 643 (cf. Schmidt l. l. p. 177). Sed meretrices similibus nominibus per -στρατη formatis appellatae non desunt: Καλλιστράτη Athen. V 220 f; Νικοστράτη Arched. fr. 1 (Ko. III 276 = Athen. XI 467 e), Νικοστρατίς Athen. XIII 586 b; Φανοστράτη Dem. XXII 56; Athen. XIII 585 f. 586 a [Phanostrata uxor Plaut. Cist.?]; cf. Στρατόλα Or. c. Neaer. § 19 (v. supra p. 120); Στρατονίκη Athen. XIII 576 f.[337]) Exiguum illud quod restat fragmentum (43 Ko.) nil de comoedia docet.

Antiphanis et Alexidis Λαμπάς.

Etiam titulum Lampas, quo inscriptae exstabant fabulae Antiphanis et Alexidis (Mein. h. cr. 313. 400; Ko. II 67 sq. 340), pro meretricis nomine habuerim, de quo cf. Athen. XIII 583 e et Bechtel Fr. p. 122, qui apte uno loco nomina Θρυαλλίς Λαμπάς Φανίον posuit.

Antiphanis Μαλθάκη.

Certe a meretrice indicem accepit Antiphanis Malthace (Mein. h. cr. 328 sq.; Ko. II 71 sq.); in unico illo, quod ad

---

innotuit, sed cf. Fick-Bechtel p. 73 (*Ἀρχίστρατος* deducendum ex *Ἀρχιστᾶς*). Praeterea hoc nomen contrarium est nomini *Λυσιστράτη*; tamen nescio an non conicere liceat poetam quarti saeculi comoediam scripsisse Lysistratae Aristophaneae similem vel potius quodam modo oppositam.

[336]) Quattuordecim apud Kirchn. I 161 sq. II 449; cf. Bechtel Fr. p. 8; Schmidt l. l. p. 177.

[337]) Apud comicos Romanos mulieribus similia nomina sunt: Phanostrata Plaut. Cist.?; Cleostrata Cas.; Nausistrata Ter. Phorm. (cf. Philem. fr. 66, Ko. II 495, ubi Suid. s. *Ἀθηναία* et Phot. Reitzenst. p. 40, 20 *Λυσιστράτας*); Sostrata Ter. Heaut., Hec., Ad. Cf. Arist. Nub. 678; Vesp. 1397 (v. p. 75); Thesm. 374; Eccles. 41. Steiger Diss. p. 5 sq. — Theoph. Sim. ep. 55 (p. 780 Herch.).

nos pervenit, fabulae fragmento, qua ratione ipsa Malthace se gerere soleat, describere videtur poeta. Praeterea cf. Luc. rhet. praec. 12 (locus iam a Meinek. laudatus): ὑπομειδιάσας τὸ γλαφυρὸν ἐκεῖνο καὶ ἁπαλόν .. Αὐτοθαΐδα[338]) τὴν κωμικὴν ἢ Μαλθάκην ἢ Γλυκέραν τινὰ μιμησάμενος τῷ προσηνεῖ τοῦ φθέγματος. — Poeta num certam meretricem in scaenam produxerit, nescio. Nomen vide etiam apud Athenaeum XIII 587 f, quo loco a versibus Theophili comici ibi laudatis (= fr. 11, Ko. II 476) seiungendum est (cf. Mein. F C G V p. CCXXVII et Kaib. ed. Athen. ad loc.); porro in novo comoediae fragmento Bull. de corr. hell. XXX (1906) 103 sqq. (nr. I fr. V Col. 1 v. 5). — Et alioquin Atheniensibus mulieribus erat usitatum, cf. Kirchn. II 48. 473; Bechtel Fr. p. 45.

Antiphanis Μέλιττα.

Sequatur Antiphanis Melitta (Mein. h. cr. 329; Ko. II 73), quae et ipsa a scorto nomen duxisse videtur: cf. meretrices cognomines apud Athen. IV 157 a; Alciphr. IV 13, 6 (Schep.); Luc. Dial. mer. 4; Aristaen. I 19 (p. 150 sq. Herch., Μελισσάριον); II 14 (v. Sondag Diss. p. 48); A P V 27, sed etiam honestis mulieribus nomen imponebatur (quinque apud Kirchn. II 64. 474; cf. Bechtel Fr. p. 97; A P V 32). — Tamen comoediam non cohaerere puto cum illa Melitta-Mania apud Athen. XIII 578 c sqq. obvia, ut Mein. et Ko. voluerunt: nam haec mulier amica Demetri Poliorcetae (Athen. l. l. et 579) natu minor mihi videtur, quam ut Antiphani fabulae argumentum praebuerit, nisi forte ab iuniore Antiphane fabulam compositam esse censes (cf. adn. 333); quode certum iudicium facere non licet, quamquam si recte huic comoediae fr. 302 (Ko. II 130) ascripsere editores, potius maioris poetae eam fuisse credam.

---

[338]) De Thaide cf. infra p. 139. — Glycera in com. ap. Men. fr. 329. 569. 944 (Ko. III 96. 174. 244); *Περικειρ.*; Plaut. Mil. glor. 436. 808 (? coni.); Ter. Andr. (Glycerium).

Antiphanis Eubuli Anaxilae Νεοττίς.

Titulus Νεοττίς trium poetarum innotuit, Antiphanis Eubuli Anaxilae (Mein. h. cr. 329. 365. 409; Ko. II 79 sq. 188. 269 sqq.), itaque non sine causa possumus coniectare certam mulierculam hoc nomine vel cognomine denotatam omnibus his fabulis illusam esse, quamvis nil de ea sit traditum,[339]) praesertim cum duas ex istis comoediis eodem fere tempore constet doctas esse. Nam Anaxilae Neottidem Koertius (Berl. phil. Wochenschr. 1906, 901) paulo post a. 345 in scaenam commissam coniecit (melius Wagnero Diss. p. 22 sq., qui inter annos 335 et 330 eam posuerat), et Antiphanis cognominis fabula, in qua ἀντίθετον illud famosum Demosthenis ridetur (fr. 169 Ko.), paulo post a. 342 scripta videtur (cf. Mein. l. l.; supra adn. 66). De Eubuli Neottide indicia temporis desunt.

Antiphanis Φιλῶτις.

Nomen meretricis se esse ipse declarat titulus Φιλῶτις Antiphanis (Mein. h. cr. 328; Ko. II 109), cf. Alciphr. IV 9, 4 (ex coni.) (Schep.). — Philotis meretrix est in Ter. Hecyra. V. Bechtel Fr. 36. — (Φιλώτιον Kirchn. s. nr. 14940.[340])

Antiphanis Χρυσίς.

De Chryside Antiphanis (Mein. h. cr. 328; Ko. II 110 sq.) haec profert Mein.: „-si eadem est Chrysis quam commemorat Menander in Adulatore, Antiphanea fabula postremis poetae dramatis accensenda est. Eandem cum aliis scortis habemus apud Timoclem Athenaei XIII 567 f“ (= Orestautoclidis fr. 25 Ko., v. supra p. 34). Sed duae videntur fuisse Chrysides, quarum natu maior apud Antiphanem et Timoclem intellegenda est, minor amica erat Demetrii Poliorcetae (Plut. Dem.

---

[339]) De nomine cf. Bechtel Fr. p. 88.

[340]) Nicostrati fabulae index apud Suid. s. *Νικ.* mutilatus -*ωτις* non *Φιλῶτις* supplendus est, ut suspicabatur Mein. h. cr. 348, sed *Πατριώτης*, quod vidit Wagner Diss. p. 43. 63 adn. 2.

24) eademque a Menandro in Adulatore commemoratur fr. 295 (Ko. III 84) (cf. Wagner Diss. p. 14 adn. 5; 29). — Haec igitur fabula quin a meretrice nominata sit, quae Antiphanis aetate florebat, non videtur dubium. In nova comoedia fictis meretricibus nomen saepius indebatur: in Menandri Eunucho sic appellabatur meretrix, quam Thaidem Terentio nominare placuit (cf. schol. Pers. sat. 5, 161), neque aliter „Samia" Menandrea; porro cf. Ter. Andr. 85. 105 sqq. 124 (soror Andriae), Trabea fr. I Ribb.² p. 31, Chrysion tit. Caecilii p. 39 Ribb.² — Cf. A P XIV 118, 2; Alciphr. IV 14, 2 Schep.; Aristaen. II 15 (p. 167 Herch.); Sondag Diss. p. 50 sq.; Schmidt l. l. p. 183. — Postea in vitae usu: duae apud Kirchn. II 438. 489. saec. II. — Minus aptum est nomen obesae illi cauponae in Plauti Pseudolo memoratae, apud quam Harpax vires itinere confectas reficere studuit (v. 638).

Ad Eubuli fabulas meretricum nominibus inscriptas nos convertamus, e quibus Neottidis modo mentio habita est (p. 130).

Eubuli Κλεψύδρα.

Porro commemoranda est eius Κλεψύδρα (Mein. h. cr. 364; Ko. II 182), de qua haec annotat Athen. XIII 567 c d: οὕτω δ' ἐκλήθη αὕτη ἡ ἑταίρα, ἐπειδὴ πρὸς κλεψύδραν συνουσίαζεν ἕως κενωθῇ, ὡς Ἀσκληπιάδης εἴρηκεν ὁ τοῦ Ἀρείου ἐν τῷ περὶ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως συγγράμματι τὸ κύριον αὐτῆς ὄνομα φάσκων εἶναι Μητίχην.[341]) Nullum fragmentum servatum est. Ex Athenaei verbis iure videtur colligi posse Eubulum ista comoedia certam meretricem in scaena exagitasse, quod ab ceteris huius poetae meretriciis titulis haudquaquam abhorret.

Eubuli Νάννιον.

Nam idem iudicandum est de eius[342]) Nannio (Mein. h. cr. 342. 365; Ko. II 187 sq.), siquidem meretrix hoc nomine

---

341) De nomine cf. Bechtel Fr. p. 27.

342) Fabula etiam Philippo tribuebatur, cf. Athen. XIII 568 f ⟨εἰ⟩. *Εὐβούλου τὸ δρᾶμα καὶ μὴ Φιλίππου.*

ornata quarto saeculo medio admodum nobilis erat atque famosa; commemoratur ab Anaxila comico fr. 22. 15 (Ko. II 270, in Neottide, de tempore v. p. 130). ab Amphide fr. 23 (II 243, una cum Sinopa [cf. p. 35] et Lyca, quae etiam in Timoclis Orestautoclide nominatur), a Timocle fr. 25 (II 462, in Orestautoclide, v. p. 34), ab Alexide fr. 223 (II 379, in Tarentinis), ab Hyperide in oratione κατὰ Πατροκλέους (Athen. XIII 587 a, Harpocr. s. v. Νάννιον = fr. 141 Blass³): apud hos omnes unam eandemque meretricem dictam esse consentaneum est. Sed duas Nannia fuisse Antiphanes (non poeta, sed auctor de meretricibus) tradit apud Athenaeum XIII 587 b: Προσκήνιον ἐπεκαλεῖτο ἡ Νάννιον, ὅτι πρόσωπόν τε ἀστεῖον εἶχε καὶ ἐχρῆτο χρυσίοις καὶ ἱματίοις πολυτελέσι, ἐκδῦσα δὲ ἦν αἰσχροτάτη. ἦν δὲ Κορώνης τῆς Ναννίου θυγάτηρ, τὸ τῆς τήθης ἀναφέρουσα ἐκ τριπορνείας ὄνομα, et duobus Menandri poetae locis Nannium quaedam commemoratur: in Pseudheracle fr. 524 (Ko. III 150: οὐκ ἐπείρα Νάννιον; — quae verba praecedunt apud Athenaeum illud Antiphanis fragmentum modo exscriptum) et in Adulatore fr. 295 (Ko. III 84) hisce:

Χρυσίδα Κορώνην Ἀντικύραν Ἰσχάδα
καὶ Ναννάριον ἔσχηκας ὡραίαν σφόδρα,[343]) —

unde Wagnerus Diss. p. 24 adn. 3 conclusit apud Menandrum neptem, apud Eubulum Amphidem ceterosque mediae comoediae poetas Nannium aviam intellegendam esse. Sed huic coniecturae obiciendum est primum, quod Antiphanes ille Nannium aviam obiter tantum tangit propter neptem: haec fuit mulier famosa et quae in Antiphanis commentariis memoraretur digna, itaque eam non diversam putaverim ab Nannio illa in media comoedia tam saepe illusa.[344]) Deinde

---

[343]) Annotat Ko. l. l. „videtur meretrix amatori perfidiam exprobrare". Non credo propter illud *ὡραίαν σφόδρα*. Verba sunt aut a lenone militi dicta (Leo Goett. Nachr. 1903, p. 687) aut a parasito (sic fortasse rectius Koerte Berl. phil. Woch. 1907, p. 647).

[344]) Dives fuit ut Sinope et Lyca (Amphis l. l.) et Phryne, cf. Amph. fr. 24 (Ko. II 243) et Timocl. fr. 23 (II 462).

haud scio an, si istae meretrices eiusmodi cognationis vinculo erant coniunctae, non satis magnum temporis spatium interiectum sit inter illas medias comoedias et Menandri Adulatorem: nam haec fabula, quam Bethium secutus (Herm. XXXVII [1902], 279) post annum 296 demum actam censuit Wagnerus l. l., non multo post Olymp. 116 (= 316—13) docta videtur, quod in ea Menander Astyanactem Milesium Olympionicam commemoravit, qui eo praecipue floruit tempore (Oxyrh. Pap. III p. 13, cf. Koerte Berl. phil. Woch. 1907, p. 647). Quae cum ita sint, istam Nannarium nobis ignotam esse profitendum,[345]) non aliter atque Coronam (cf. adn. 329; aliam esse, quam Philet. fr. 9 nominat, temporum rationes docent; fallitur Koerte l. l.), Ischada (de nomine cf. Ὤκιμον supra p. 121 sq., Μηκωνίς Σισύμβριον Theophil. fr. 11 [Ko. II 476], cf. Fick-Bechtel p. 327 sqq.). Chrysis (v. p. 130) et Anticyra sine dubio sunt Demetri Poliorcetae amicae Plut. Demetr. 24 (cf. Koerte l. l.; aliam Anticyram habemus apud Lysiam fr. 167, Sauppe O A II 196 = Athen. XIII 586 f. Harpocr. s. n.), et his nominibus potissimum demonstratur suae aetatis meretrices Menandrum enumerare neque solum n o m i n a meretricia velut e. g. Theophilus fr. laud. (cf. infra p. 146), Turpilius v. 185—88 (Ribb.² p. 108), cf. Plaut. Pseud. 188 sqq. — Nannium Pseudheraclis Menandreae (v. p. 132) aut eadem fuit quae illa ab Amphide Anaxila cet. memorata (hoc si verum, fragmentum simili modo intellegendum est atque Anaxandr. fr. 9 [supra p. 121]) aut non diversa a Nannario illa Adulatoris.

Eubuli Πλαγγών.

Certam meretricem Eubulum traduxisse puto etiam in Plangone (Mein. h. cr. 366; Ko. II 194), quamquam ex ipsa fabula nil restat nisi vocula μετοίκιον (fr. 87 Ko.). Sed mulier non ignobilis illis temporibus erat Plangon, cf. Anaxil. fr. 22, 8 (Neottidis, v. p. 130), Timocl. fr. 25 (Orestautoclidis, v. p. 34),

---

[345]) Iam Themistoclis amicae hoc nomen fuisse fertur (Athen. XIII 576 c).

de qua nonnulla narrat Athen. XIII 594 b sqq. (cf. Wagner Diss. p. 23 sq.). Nomen alioquin saepius Atheniensibus usurpabatur: sex apud Kirchn. inveniuntur II 201 sq. 479, in quibus (s. nr. 11840) mater Boeoti-Mantithei Pamphilique (Dem. or. XXXIX et XL), quam diversam a meretrice esse iure affirmavit Wagner Diss. p. 23 adn. 4. — E media comoedia in novam devenit nomen, sed liberae puellae non meretrices, eo ornatae sunt in Menandri Ἥρωι et Σαμίᾳ. Praeterea cf. A P V 202.

Eubuli Χρύσιλλα.

Denique Eubuli Chrysilla memoranda est (Mein. h. cr. 367; Ko. II 205, cf. Antiphanis Chrysis p. 130), quam fabulam recte nimirum Meinekius distinguit a Periclis amica Telecl. fr. 17 (Ko. I 214) = Athen. X 436 f; tamen huius nominis meretricii exemplum illa praebet. Sed nomen aliunde nobis cognitum, v. Bechtel Fr. p. 38 (cf. A P V 253). Quae saeculo IV floruerit Chrysillam meretricem non novi.

Ephippi Φιλύρα.

Primis mediae comoediae temporibus ascribenda est Ephippi Philyra (Mein. h. cr. 353; Ko. II 262 sq.; ἑταίρας δ' ὄνομα ἡ Φιλύρα Athen. VII 286 e), si recte eandem Meinekius eam censuit atque illam, quam Lysias nominat una cum Lagisca et Antea l. l. (p. 120): haec Philyra non aliter atque Antea annis fere 390—80 floruisse putanda est. E fragmentis nil potest effici, sed tempus ad Ephippum quadrat, cuius nomen ante Antiphanis positum est in catalogo victorum Lenaicorum I G II 977 f = Wilh. Urk. p. 122 sq., ubi hoc ordine poetae enumerantur: Anaxandrides Philetaerus Eubulus Ephippus Antiphanes Mnesimachus etc. — Ephippi Ἄρτεμις a. 367 videtur docta esse, cf. Ko. II 250.

E numero fabularum Alexidis supra memoratae sunt Pamphila (p. 117), Antea (p. 119. 127), Lampas (p. 128). Sed restant complures.

Alexidis Ἀγωνὶς ἢ Ἱππίσκος.

Prior pars tituli Ἀγωνὶς ἢ Ἱππίσκος (Mein. h. cr. 385 sq.; Ko. II 297 sqq.; de posteriore cf. supra p. 108) explicatur glossa Suidae Ἀγωνίς · ὄνομα ἑταίρας. Cf. Cic. div. in Caec. 55 et Kaibel ed. Athen. I p. 285 adn. ad v. 15 (coni.). Aliunde nomen mihi quidem ignotum est (Ἄγων apud Kirchn. I 14. II 440). Propter Misgolam ob citharoedorum amorem illusum fr. 3 Ko. (cf. supra p. 35) comoedia paulo post orationem Aeschinis Timarcheam, i. e. a. 345, composita videtur, cf. Mein. l. l.; Kaibel apud P W I 1469; Wagner Diss. p. 25. 28.

Alexidis Δορκὶς ἢ Ποππύζουσα.

Bis Athenaeus laudat Alexidis fabulam Δορκὶς ἢ Ποππύζουσα (Mein. h. cr. 387; Ko. II 316 sq.), semel profert titulum ἐν Ῥοδίῳ ἢ Ποππυζούσῃ (IX 395 b): equidem (assentiens Kaibelio ap. P W I 1469, 56) fieri potuisse credo, ut errore alicuius librari pro ΔΟΡΚΙΔΙ scriberetur ΡΟΔΙΩΙ (cf. δ-ο-ρ et ρ-ο-δ), sed pro certo hoc affirmare non ausim, et concedo fortasse rectum esse, quod Benderus Diss. p. 52 opinatur, duas meretrices, unam nomine Dorcidem, alteram nomine Rhodium, in comoedia partes egisse, et diversas fabulae editiones diversis illarum mulierum nominibus esse inscriptas. — Pro meretriciis nominibus omnes ea habeant, quamquam aliud Δορκίς nominis exemplum praesto non est (cf. Bechtel Fr. p. 87): Dorcium est apud Ter. Phorm. 152 et Turpil. v. 126 (Ribb.² p. 100); Δόρκιον meretrix A P XII 161; Δορκάς Luc. dial. mer. 9; cf. A P V 182. — Ῥόδιον (cf. IG II 836, 108. 2906. 2964. 3032. 3337) meretrici aptum (cf. Bechtel Fr. p. 103) hoc titulo excepto nusquam in comoedia invenitur: Ῥόδη est apud Philem. fr. 84 (Ko. II 502), Men. fr. 245 (III 70 sq., in Ἱερείᾳ, ubi mulier honesta designari videtur), fr. 546, 5 (III 166).

Ceteras Alexidis fabulas huc pertinentes uno loco liceat afferre; sunt Ἰσοστάσιον (Mein. h. cr. 400; F C G III 422 adn.; Ko. II 328 sqq.): nomen aliunde nobis non cognitum a Bechtelio

Fr. p. 118 sq. explicatur glossa Hesychii: ἰσοστάσιον μύρον· ἡ στακτή, σμύρνα (emend.) coll. nominibus Μυρώ et Στακτή. De vita meretricia uberrime sermo erat, nam in fr. 98 Ko. perlongo ἡ ἑταιρικὴ παρασκευὴ καὶ αἱ δι' ἐπιτεχνήσεως κομμώσεις τῶν ἑταιρῶν depinguntur. — Ὀπώρα (Mein. h. cr. 401; Ko. II 358), de qua Athen. X 443 e ἑταίρας δ' ὄνομα τὸ δρᾶμα ἔχει neque aliter XIII 567 c (v. p. 114). Aeliani ep. rust. 7. 8 artius hac cum fabula cohaerere coniecit Warnekius Herm. XLI (1906) p. 158 sq. Et in vita nomen adhibebatur: cf. I G II 2762 Ὀπώρα Στάχυ[ο]ς Ἀκανθία tit. sep.: 3225 Ὀπώρα Ἀλκαίου Μιλησία. Cf. Fick-Bechtel p. 300; Bechtel Fr. p. 128. — Πεζονίκη (Mein. h. cr. 401; Ko. II 365). Nomen alibi non inveni. Ex ipsa comoedia nil restat nisi verba μᾶλλον μᾶλλον fr. 181 Ko. — Πολύκλεια (Mein. h. cr. 401 sq.; Ko. II 366): cf. Athen. XIV 642 c ἑταίρας δ'ὄνομα. V. Bechtel Fr. p. 21.

Apud posteriores mediae comoediae poetas et in nova tituli meretricii rariores inveniuntur.

Axionici Φίλιννα supra tangebatur (p. 119).

Timoclis et Philemonis Νέαιρα.

E numero titulorum Timoclis, quem meretricibus sane non pepercisse supra vidimus, cum de eius Orestautoclide disputavimus, unus certe hic est collocandus: Νέαιρα: eiusdem indicis comoediam scripsit Philemo (Mein. h. cr. 431; Ko. II 462. 490). Titulum quicunque audiet, statim Neaerae illius famosae meminerit, adversus quam [Dem.] or. LIX scripta est. Ea supra in comoedia commemorata nobis occurrit (v. p. 123 sq.). Itaque Kockius l. l. annotavit: „Meretrix sine dubio significatur famosissima.“ Atque Timoclem, poetam ut quarti saeculi sane mordacem atque proclivem ad illudendum, facile credas argumentum luculentum, quod lis illa Neaerae intenta offerebat ad comoediam scribendam, non praetermisisse. Neque repugnant huic coniecturae versus illi, quos Ath. XIII 567 e servavit (fr. 23 Ko.): in quibus amator queritur ad Phrynam sibi

aditum non patere, ex quo tempore illa dives sit facta; eandem Phrynam[346]) teste Athenaeo Amphis in Κουρίδι commemoraverat (fr. 24, Ko. II 243), nec diversam suspicor illam in Anaxilae Neottide (fr. 22, 18: v. p. 130) nominatam: utramque comoediam, tempus si spectas, non longe vides abesse ab oratione illa contra Neaeram a. fere 343 habita (cf. Schaefer III¹ Beil. p. 183; Blass Att. Bereds.² III 1, 536). Ipse Timocles in meretricum choro, qui in Orestautoclide furiarum munere fungebatur, Phrynam iterum commemorat (v. supra p. 34).[347]) Sed Philemonis Neaera iisdem temporibus composita esse non potest, quamquam ille videtur tunc temporis coepisse fabulas docere (cf. Wagner Diss. p. 28; Koerte Berl. phil. Woch. 1906, 902): vide enim fr. 47 Ko.

ὥσπερ Σέλευκος δεῦρ' ἔπεμψε τὴν τίγριν,
ἣν εἴδομεν ἡμεῖς, τῷ Σελεύκῳ πάλιν ἔδει
ἡμᾶς τι παρ' ἡμῶν ἀντιπέμψαι θηρίον.

Nam etsi ignoramus, quo tempore istam tigrim Seleucus Atheniensibus donaverit, tamen hoc certum est, non potuisse fieri ante Alexandri mortem, nec vero post pugnam ad Ipsum factam, quia Seleuco regis titulus illo loco non attribuitur.[348]) Ergo, si illud de Timoclis Neaera quod coniecimus verum est atque si ratio aliqua intercessit inter Timocleam Philemonianamque Neaeram, idem de his comoediis dicendum est, quod supra de Antiphanis Alexidisque fabulis Antea inscriptis diximus (p. 127). Tamen haudquaquam nego fortasse nihil Philemonem a Timocle pendere, tantum suae, quam fingebat, meretrici nomen illius famosae mulieris aptum existimasse.[349]) Licinii Imbricis, quae exstabat, Neaera (Gell.

[346]) Duae fuere, cf. Apollod. apud Athen. XIII 591 c; Wagner Diss. p. 24 adn. 5.

[347]) Comoedia eo tempore, quo floruit Neaera, scripta esse non potest propter Timoclis aetatem.

[348]) Cf. O. Keller Tiere des klass. Altert. p. 131; Dietze Diss. p. 44.

[349]) An de amoribus Neaerae Milesiae Promedontisque cogitandum, quos narrat Parthen. XVIII? Cf. Rohde Gr. Rom.² p. 43 c. adn.

N. A. XIII 23 (22); Ribb.² p. 35) ad similitudinem comoediae Philemonis composita esse putatur.

Diphili Συνωρίς.

Diphili unum drama hoc loco afferendum est, Συνωρίς (Mein. h. cr. 456 sq.; Ko. II 565 sqq.); nam Athen. VI 247 a refert: ἑταίρας δ' ὄνομα ἡ Συνωρίς, cf. XIII 583 e, ubi discimus eius cognomen fuisse Λύχνος.[350]) Comoediam renovatam denuo in scaenam esse demissam comperimus ab eodem VI 247 c. In fragmento festivissimo (73 Ko.) parasitum (cf. fr. 74. 75 Ko.) videmus cum muliercula, ipsa opinor Synoride, talis ludentem. — Aliud fragmentum servavit Athen. XIV 657 e (= 77 Ko.): χηνίζειν δὲ εἴρηται ἐπὶ τῶν αὐλούντων· Δίφιλος Συνωρίδι

ἐχηνίασας· ποιοῦσι τοῦτο πάντες οἱ
παρὰ Τιμοθέῳ —

ad quem locum Ko. l. l. annotavit: „Timotheum auloedum aliquem illius aetatis fuisse, non clarum illum Milesium, Meinekius arbitratur. At quamquam is mortuus est Ol. 105, 4 (= 357), tamen a Diphilo commemorari potuit, dummodo scribamus οἱ παρὰ Τιμοθέου, i. e. discipuli et successores eius.“ Sed mutationem non necessariam puto, quod tibicinis (auletae, non auloedi) Timothei memoria ad nos pervenit, qui Diphili aequalis fuit: in nuptiis illis praeclaris, quas Alexander magnus a. 324 Susae celebravit, et alii et Timotheus quidam artem suam ostenderunt, ut Chares auctor est apud Athen. XII 538 f.[351]) Eundem nominatum suspiceris apud Didym. ad Dem. col. XII 55 sqq; ubi Marsyam secutus tradit enarrator, paulo ante quam Philippus Macedo Methonam oppugnans (a. 353, cf. Schaefer II² 31. I² 440) unum oculum amisisset, in certaminibus musicis κατὰ δαίμονα · · τὸν Κύκλωπα πάντας αὐλῆσαι, Ἀντιγενείδην μὲν τὸν Φιλοξένου, Χρυσόγονον δὲ

---

[350]) Cf. Bechtel Fr. p. 122 adn. 3.

[351]) Ad eundem Kaibelius (adn. ad loc.) rettulit, quod de barba, quam aluit Timotheus, narrat Chrysippus apud Athen. XIII 565 a.

τὸν Στησιχόρου, Τιμόθεον δὲ τὸν Οἰνιάδου. Tum praeclarus Timotheus mortuus erat (cf. de Wilamow. Timoth. Perser p. 67 c. adn. 4). Nemo negabit eundem, qui a. 353 tibiis cecinit, etiam a. 324 potuisse certaminibus interesse. Nonnulli ex histrionibus tragicis et comicis, qui in illis nuptiis dramata egerunt, iam diu Athenis floruerant.[352] Quam coniecturam de Timotheo qui probabit, multo post a. 320 Diphili Synoridem doctam esse non credet.

Menandri Θαΐς.

Restat, ut praeclarissimi novae comoediae scriptoris titulos, qui huc pertinent, afferamus, Menandri, atque ordiamur a comoedia nobili, cui Θαΐς erat inscriptum (Mein. Men. et Phil. rell. p. 73 sqq.; Ko. III 61 sqq.): fuit autem Menandri aetate meretrix sane famosissima Thais, vide imprimis Athen. XIII 576 d e: ὁ δὲ μέγας Ἀλέξανδρος οὐ Θαΐδα εἶχε μεθ᾽ ἑαυτοῦ τὴν Ἀττικὴν ἑταίραν; περὶ ἧς φησι Κλείταρχος ὡς αἰτίας γενομένης τοῦ ἐμπρησθῆναι τὰ ἐν Περσεπόλει βασίλεια. αὕτη δὲ ἡ Θαΐς [καὶ] μετὰ τὸν Ἀλεξάνδρου θάνατον καὶ Πτολεμαίῳ ἐγαμήθη τῷ πρώτῳ βασιλεύσαντι Αἰγύπτου καὶ ἐγέννησεν αὐτῷ τέκνον. Λεοντίσκον καὶ Λάγον, θυγατέρα δὲ Εἰρήνην, ἣν ἔγημεν Εὔνοστος ὁ Σόλων τῶν ἐν Κύπρῳ βασιλεύς. Cf. ib. 585 c e; Plut. Alex. 38; Diod. Sic. XVII 72. — Tamen ab hac muliere, quantum nos possumus iudicare, nil nisi nomen Menander sumpsisse videtur; quod primum concludo ex tota Menandri indole atque scribendi ratione, quem integram ad illudendum aliquem aequalem comoediam scripsisse nemo facile crediderit, deinde e L. Afrani comoedia Thais (Ribb.[2] p. 207; cf. Ritschl Parerga p. 142 adn. 2), quam e Menandrea expressam esse probabile est, denique ex ipsis Menandri versibus e prologo Thaidis desumptis (Plut. Mor. 19 a = fr. 217 Ko.) his:

---

[352]) Thettalus a. 342/1 prodiit (I G II 973, v. 4. 9. 14 = Wilh. Urk. p. 39 sq.), Athenodorus a. 343/2 (I G II 971 e = Wilh. Urk. p. 26). — De Lycone cf. supra p. 58.

ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε τοιαύτην, θεά,
θρασεῖαν, ὡραίαν δὲ καὶ πιθανὴν ἅμα,
ἀδικοῦσαν, ἀποκλείουσαν, αἰτοῦσαν πυκνά,
μηδενὸς ἐρῶσαν, προσποιουμένην δ' ἀεί.

Videtur igitur omnia, quae verae meretricis propria sunt, Thaidi suae dedisse poeta naturae humanae peritissimus. Et hac comoedia opinor factum est, ut postea saepe meretricibus hoc nomen imponeretur. [353]) Itaque suspicor Hipparchi Thaidem (Mein. h. cr. 457 sq.; Ko. III 273) a Menandri pendere. Poeta ille, si recte eundem eum fuisse coniecit Wilh. Urk. p. 251 atque histrionem comicum in catalogo Deliaco Bull. de corr. hell. VII (1883) 112 v. 24 (a. 265) occurrentem, paulo post Menandrum floruit.

Menandri Ὑμνίς.

Etiam titulum Ὑμνίς hic apponendum censui (Ko. III 135 sqq.); aliter Ko. l. l.: „cum Ammon. 5 et Harpocr. 94,7 ἐν τῷ Ὕμνιδι praebeant (ceteri articulum omittunt) non dubito quin Menander virum significaverit. cf. Ἄλεξις, Ἄμφις, Δοῦρις, Λῦσις, Χρῦσις. itaque recte scrib. Ὕμνις Ὕμνιδος cet.“ Sed cum Hymnidis virilis nominis nullum aliud videatur exstare exemplum et Harpocr. Ammoniusque, cum idem afferant fragmentum (476 Ko.), pro uno teste habendi sint — ceterum apud Harpocrationem titulus deest — ego potius muliebre nomen, i. e. meretricium Ὑμνίς scribendum puto: neque enim deest exemplum, v. Luc. dial. mer. 13. [354]) Idem iudicarunt Ribbeckius, apud quem Caecili comoediam Hymnis appellatam vide in C R F [2] p. 45 sqq., et Wendelius l. l. (adn. 144) p. 40 adn. 82.

---

[353]) Cf. ipsius Men. fr. 407 (Ko. III 119); deinde adesp. fr. 186 (III 444 = Luc. dial. mer. 3, 2); Ter. Eun. (haec Thais apud Menandrum Chrysis erat, schol. Pers. sat. 5, 161); Turpil. v. 187 (p. 108 Ribb.[2]); Alciphr. IV 6. 7; 14, 2. 7 (Schep.), v. Sondag Diss. p. 47, qui alia exempla affert; cf. A P V 161.

[354]) Cf. A P VII 643. Fick-Bechtel p. 306; Bechtel Fr. p. 71.

Menandri Φανίον.

Finem et Menandri titulorum et totius huius classis faciat Φανίον (Ko. III 142 sq.), quam fabulam a meretrice appellatam esse expressis verbis testatur Athen. XIII 567 c (v. supra p. 114). Certam quandam mulierem cognominem, quae Menandri temporibus floruerit, non novi. — Nomen invenitur apud Ter. Phorm. 201. 218. 316. 322, ubi tonstrina ingenua, civis Attica, sic nominata est; A P XII 83 meretr. Cf. Bechtel Fr. p. 122 et supra s. tit. Λαμπάς p. 128.[355])

Priusquam ad incertos titulos meretricios nos convertamus, tractanda nobis est comoediae inscriptio, quae quamquam non ab integro nomine proprio desumpta tamen meretricis nomen continet idque nobilissimae antiquitatis in nostri Wielandii Aristippo celebratae: Laidem dico titulumque Ἀντιλαΐς, quem duo poetae adhibuerunt: Cephisodorus (nil nisi titulus servatus apud Suid. s. n. Κηφισ., cf. Mein. h. cr. 267 sq.; Ko. I 800) et Epicrates (Mein. h. cr. 414; Ko. II 282 sqq.; perlongam Laidis vetustae descriptionem hac e fabula exscripsit Athen. XIII 570 b sqq.).

Cephisodori et Epicratis Ἀντιλαΐς.

De Laidis aetate vitaque quae tradita sunt qui circumspiciet, magnam inveniet copiam narratiuncularum singularumque commemorationum apud diversos poetas et scriptores disiectarum. Quas ad unam eandemque mulierculam referri posse cum desperarent, inter duas cognomines meretrices famosas divisere qui nostris temporibus de Laide egerunt homines docti.[356])

---

[355]) Nomen Φανίας adulescentibus indebatur: v. Men. fr. 281 (Ko. III 79). 613 (III 184). 726 (III 206); Phania apud Ter. Andr. 929. 934 (frater Chremetis); Heaut. 169 (vicinus); Hec. 458 (consobrinus mortuus).

[356]) Inprimis Jacobsius in Wielandii Museo Attico III p. 173 sqq. (adnott. p. 221 sqq.); secuti sunt Teuffelius in Paulyi Encyclopaedia et Papius Benselerusque in nominum lexico; pauca de Laidibus annotavit Bergkius rell. p. 401 sqq., postea uberius de eis se scripturum pollicitus

Nos rem difficilem iterum temptemus necesse est, vel ut perspiciamus, ad utram tituli illi spectent: si modo duae fuere! Nam ante omnia hoc dicendum: veteres scriptores nusquam duas Laides discernunt, semper de Laide una meretrice celeberrima narrant uno loco excepto, qui extemplo afferatur: Athen. XIII 574 e καὶ ἑτέρας δὲ δύο ἑταίρας περιήγετο αἰεὶ ὁ Ἀλκιβιάδης, Δαμασάνδραν τὴν Λαίδος τῆς νεωτέρας μητέρα καὶ Θεοδότην. Locus est memorabilis ideo, quod fere idem apud eundem Athenaeum paulo ante legitur (XII 535 c, agitur de luxuria Alcibiadis): στρατηγῶν δὲ συμπεριήγετο αὑτῷ τήν τε Λαΐδος τῆς Κορινθίας μητέρα Τιμάνδραν καὶ Θεοδότην τὴν Ἀττικὴν ἑταίραν. Auctor est Satyrus (534 b),[357] sed duabus in rebus illum locum ab hoc vidisti discrepantem: altera amica Alcibiadis quod hic Timandra appellata illic Damasandra audit, non emendationi tribuendum est; nam recte Hemsterhusius ad schol. Arist. Plut. 179 verum feminae nomen coniecit per calumniam in Damasandram detortum esse.[358]) Qua re alterius mutationis (Λαίδος τῆς Κορινθίας — Λ. τῆς νεωτέρας) fides videlicet haud augetur; quoniam alterutrum tantum apud Satyrum scriptum fuisse potest, per coniecturam illud τῆς νεωτέρας iure forsitan quispiam dicat illuc illatum esse, et si unam Laidem fuisse ex ceteris testimoniis colligatur, illum Athenaei locum iure neglegi.

Sed iam comicos poetas de mulieris aetate certe optimos testes producamus. Atque commemoratur quaedam Lais ab hisce:

1. ab Aristophane Plut. 179; cf. 302 sqq. c. schol.[359])

(p. 404): cui promisso numquam, quantum ego quidem scio, stetit. Praeterea cf. Holm Gesch. Siziliens II 410 sq. et Freeman Gesch. Siziliens (Deutsche Ausg. v. B. Lupus 1901) III 588 sqq., qui difficultates non tam tollunt quam indicant.

[357]) Et Lysiae eadem oratio bis laudatur, 534 f et 574 e.

[358]) Non aliter Jacobs l. l. p. 176 adn.

[359]) De coniectura, per quam in hoc versu *Ναΐς* scribere iubemur, adhuc dubito (cf. adn. 327), licet ab Aristophane grammatico profecta sit, ut studuit probare van Leeuwen ed. Pluti p. XXV. Certum iudicium eo vetatur, quod Plato comicus quae in Phaone de Laide dixit (schol. Plut. 179 = fr. 179, v. p. 143. 149 et adn. 372), deperdita sunt.

2. a Platone fr. 179 (Ko. I 650 = schol. Ar. Plut. 179; in Phaone).

3. a Strattide fr. 26 (Ko. I 718 = Athen. XIII 589 a; in Macedonibus sive Pausania; est fragmentum, quod solum duplici titulo laudatur [cf. p. 24]).

4. a Philetaero fr. 9, 4 (Ko. II 232 = Athen. XIII 587 e; in Venatrice, v. supra p. 122 sq.).

5. ab Anaxandride fr. 9, 1 (Ko. II 138. III 737 = Athen. XIII 570 d e; in Gerontomania, cf. supra p. 121).

6. a Cephisodoro tit. Ἀντιλαΐς.

7. ab Epicrate tit. Ἀντιλαΐς et fr. 2. 3.

8. a Theophilo fr. 11 (Ko. II 476 sq. = Athen. XIII 587 f; in Φιλαύλῳ).

9. ab Eripho fr. 6 (Ko. II 430 = Athen. IV 137 d, in Πελταστῇ).

Tempora autem examinemus oportet poetarum vel, quantum licet, comoediarum:

1. Aristophanis Plutus a. 388 docta est; versum illum (179) posterioris fabulae editionis esse, licet scholiasta dubitaverit, vel ex Philonidis commemoratione apparet, de quo v. supra p. 29 sqq.

2. Platonis Phaon a. 391 acta est: schol. Arist. l. l. Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει ὕστερον (i. e. post Plutum priorem) διδαχθέντι ἐπὶ Φιλοκλέους (trad. Διοκλέους; corr. Hemst.).

3. Strattidis Macedones sive Pausanias cuius sint anni, nescimus, sed docuit poeta sub finem saeculi quinti, initio quarti: irrisit Callippidem histrionem tragicum (cf. supra p. 23 sq.), Hegelochum histrionem post a. 408 (fr. 1 Ko.), Cinesiam c. a. 388 (cf. supra p. 29), Isocratem Lagiscamque amicam fr. 3 Ko. (in Atalanta, quae fabula πολλῷ ὕστερον τῶν Βατράχων δεδίδακται schol. Ran. 146).

4. et 5. Philetaeri Venatricem et Anaxandridis Gerontomaniam supra Laidis commemorationes non respicientes c. a. 370—65 doctas coniecimus. Ab illo meretrix mortua esse pronuntiatur, ab hoc in aliarum recensetur mulierum

numero, quae floruisse dicuntur; sunt Antea, Lagisca, Theolyta, Ocimum: Anteae Lagiscaeque florem aetatis decennio fere 390—380 contineri supra expositum est. Laidem Ocimum Metaniram coniunctim memoraverat Hyperides ἐν τῷ κατὰ Ἀρισταγόρας β' fr. 13 Blass³ = Athen. XIII 587 c d. 588 c: ὥστε Λαῒς μὲν ἡ δοκοῦσα τῶν πώποτε διενηνοχέναι τὴν ὄψιν καὶ Ὤκιμον καὶ Μετάνειρα —: audimus oratorem de meretricibus loquentem, quae ante suam aetatem fuerint. Unam novit Laidem. Metanirae aetas amore Lysiae definitur (cf. p. 120 sq.).[360])

6. De Cephisodoro poeta discedunt hominum doctorum sententiae. Legimus enim apud Lysiam XXI 4 ἐπὶ δὲ Εὐκλείδου ἄρχοντος (403/2) κωμῳδοῖς χορηγῶν Κηφισοδότῳ ἐνίκων: cum Cephisodotus comicus numquam, Cephisodorus saepius laudaretur, Clintonus levi mutatione Κηφισοδώρῳ scripsit, quem secuti sunt, ut par erat, omnes, praeter Cappsium (Am. Journ. of Phil. XXI 50 sqq.) et Wilhelmium (Urk. p. 117), qui in tertia columna catalogi victorum I G II 977 k (= Wilh. Urk. p. 107) e Lysiae codicibus suppleri volunt Κη]φισό[δοτος (post Νικοφῶν et Θεόπομπος): adhuc Κηφισόδωρος hoc loco scribebatur. Contra hoc nomen in tertiam columnam Lenaicorum victorum catalogi, ubi sexto loco post Alexidem, decimo post Antiphanem ....] ρος servatum est, inferendum coniecit Cappsius huic mediae, quem fingit, comoediae scriptori omnia fragmenta ascribens excepto titulo Ἀντιλαΐς. Pristinum Suidae contextum

Κηφισόδοτος κωμικὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας
Κηφισόδωρος κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας

ita turbatum esse, ut Cephisodoti nomine neglegentia alicuius librarii omisso Κηφισόδωρος falso antiquae comoediae poeta exisset. Sed tota haec coniectura Cappsii corruit, si recte Wilhelmius animadvertit longius nomen illa lacuna ante ....] ρος desiderari velut Διονυσόδωρος vel Ἀσκληπιόδωρος. Quare equidem, nisi aliud forte lapides docebunt, lenissimum puto atque

[360]) Ceterum ex Ocimi commemoratione etiam Eubuli *Κέρκωπες* et Nicostrati *Πάνδροσος* quo fere tempore scriptae sint, colligi potest (cf. supra p. 121 sq.).

probabilissimum Κηφισόδωρος et apud Lysiam scribi et in catalogo IG II 977 k restitui. Atque evadit Cephisodorus poeta finis saeculi quinti, initii quarti.

7. De Epicrate lapides tacent. Istius autem poetae est descriptio illa festiva scholae Platonicae, qua Speusippo Menedemoque magistro assistentibus genus cucurbitae discipulis videmus definiendum propositum (Athen. II 59 c sqq. = fr. 11, Ko. II 287 sq.; dolendum est, quod fabulae nomen omisit Athenaei excerptor). Epicrates igitur ante annum 348 fabulas docuit, nil autem obstat, quominus iam c. a. 375—70 eum docuisse coniciamus (cf. Kaibel ap. P W VI 120 sq.).

8. At posteriore aetate floruit Theophilus, quandoquidem a. 330/29 eum vicisse lapis IG II 5, 971 h = Wilh. Urk. p. 27 sq. testatur, nec non concinunt, qui in fragmentis ridentur, hominum tempora: sunt Callimedon famosus Carabus fr. 4 (Ko. II 474), Atrestida (fr. 3, 1 Ἀτρεστίδας τις Μαντινεὺς λοχαγὸς ἦν, fortasse ille, cui Philippus Macedo Olyntho expugnata (a. 348) captivos dono dedit, Dem. XIX 305 sqq. c. schol., cf. Ko. III 747, Schaefer II² 153 adn. 5, Kirchner apud P W II 2139), Autocles (fr. 2), qui non diversus videtur ab homine prodigo, cuius una cum Epiclis mortem Athen. XII 537 c narrat, nec ab illo, quem Timocles illudit in fragmento nuper reperto apud Didym. Dem. Com. col. X 4 (cf. Bergk rell. p. 251; Kirchn. s. nr. 2718; Diels ad Didym. l. l.; Koerte Rh. Mus. LX [1905] 414): desumpti sunt Timoclis versus ex Icariis, quae fabula anni 342/1 videtur esse (cf. Wagner Diss. p. 27; Koerte Berl. phil. Wochenschr. 1906, 902). Quae cum ita sint, non errabit, qui post medium saeculum quartum Theophilum floruisse dicet.[361])

9. Neque maior aetate Theophilo erat Eriphus, quippe qui in Meliboea versus Antiphaneos mutuaretur, qui ante Alexandri magni bellum Asiaticum nequeunt scripti esse (Antiphan. fr. 58, Ko. II 35 = Eriph. fr. 2, 1—9, ib. 429 =

---

[361]) Servatum est eius nomen una cum Alexidis etiam IG II 974 b = Wilh. Urk. p. 41, sed sine anno. Idem Wilhelmius quod ad annum 311 Theophili nomen supplevit (Urk. p. 44 sq.), ipse quam incertum hoc sit profitetur.

Athen. III 84 a—c): sermo est de malis aureis, i. e. citreis, quorum semen nuper παρὰ τοῦ βασιλέως Athenas venisse dicitur: rex Alexander est, quod iam pridem vidit Victor Hehn Kulturpfl. u. Haustiere⁵ p. 358.[362])

Videmus igitur — ut paucis quae profecimus complectamur — quae numeris 1—7 supposuimus testimonia eximie quadrare in unam eandemque meretricem Laidem, quae initio quarti saeculi floruisse putanda est, tertio illius saeculi decennio ut vetula contempta esse ac risa. Lysiae orationem πρὸς Λαΐδα (Athen. XIII 586 e. 592 e; commemorantur in fragmento Antea, Lagisca etc.; v. supra p. 120; cf. Harpocr. s. Λαγίσκα; additur εἰ γνήσιος ὁ λόγος) sane non est causa cur ad aliam meretricem referamus: immo optime tempora congruunt.

At apud Theophilum et Eriphum nonne iuniorem illam deprehendimus? Non credo. Apud hunc iam in usum proverbii venit nomen meretricis famosae: τάδ' οὐ Κόρινθος οὐδὲ Λαΐς, ὦ Σύρε, | οὐδ' εὐτραπέζων Θετταλῶν ξένων τροφαί κτλ. Conf. illum versum οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθόν ἐσθ' ὁ πλοῦς Aristoph. fr. 902 (Ko. I 591) et adesp. fr. 600 (Ko., III 516). Theophili autem versus nominum meretriciorum enumerationem continere mihi persuasum est: τοῦ μή ποτ' αὐτὸν ἐμπεσεῖν εἰς Λαΐδα | φερόμενον ἢ Μηκωνίδ' ἢ Σισύμβριον | ἢ Βάραθρον ἢ Θάλλουσαν ἢ τούτων τινά, | ὧν ἐμπλέκουσι τοῖς λίνοις αἱ μαστροποί.[363]) Nam — atque hoc gravissimum puto — Lais a Theophilo commemorata non posset non aequalis fuisse Phrynae Nannii Gnathaenae Pythionicae ceterarumque illarum mulierum, quae tam saepe ab illius aetatis comicis illuduntur: inprimis v. Antiphan. fr. 26 (Ko. II 20), Anaxil. fr. 22 (II 270), Amph. fr. 23 (II 242), Timocl. fr. 25 (II 462; supra p. 34): sed nulla

---

[362]) Fortasse aliquis *Βοιωτίαν* Antiphaneam propter hos versus iuniori Antiphani (cf. adn. 333) ascribendam opinetur. Tamen potius pro una ex ultimis maioris Antiphanis fabulis (mortuus est secundum Suidam a. 334—31) eam habuerim, qua re optime Eriphi mutuatio explicatur (cf. Kaibel ap. PW VI 460).

[363]) Quae sequuntur „*ἢ Ναύσιον* (?) *ἢ Μαλθάκην*" a Myrtilo Athenaei videntur addita esse, v. Kaib. ad. loc.

apud hos Laidis alicuius commemoratio. Quare etiam illi narratiunculae Athenaei XIII 588 e, qua Lais Phrynae invida et divitem et pauperem admisisse narratur, fidem denego.[364]) Et quod posterioris aetatis scriptores Laidem Phrynamque una commemorant,[365]) noli mihi obicere: meretrices celeberrimas componunt temporum vel ignari vel incuriosi.

Sed quae ab aliis de Laide traduntur, inspiciamus. Atque Hyccaris Siciliae ab oppido eam oriundam esse plurimi auctores sunt: Timaeus apud Athen. XIII 589 a, Nymphodorus ap. eundem 588 f. 589 a, Polemon ap. eundem 588 b c. 589 a,[366])

---

[364]) Ceterum Laidem multum ab amatoribus poposcisse et per se est verisimile et diserte testatur Epicrat. fr. 3, 15 sqq.: *αὕτη γὰρ οὖν ὁπότ' ἦν νεοττὸς καὶ νέα, | ὑπὸ τῶν στατήρων ἦν ἀπηγριωμένη, | εἶδες δ' ἂν αὐτῆς Φαρνάβαζον θᾶττον ἂν —;* cf. Ael. V. h. XIV 35 *Ὅτι Λαὶς καὶ Ἀξίνη ἐκαλεῖτο. ἤλεγχε δὲ αὐτῆς τὸ ἐπώνυμον τοῦτο τὴν τοῦ ἤθους ἀγριότητα καὶ ὅτι πολὺ ἐπράττετο, καὶ ἔτι μᾶλλον παρὰ τῶν ξένων ἅτε ἀπαλλαττομένων θᾶττον* (cf. XII 5, ubi auctor Aristophanes Byzantius vocatur); cf. Gellius N. A. I 8, 3. Praeterea vereor, ne illud Athenaei e versibus Epicratis, qui illos sequuntur, fictum sit: „nunc vetula facta *δέχεται δὲ καὶ στατῆρα καὶ τριώβολον, | προσίεται δὲ καὶ γέροντα καὶ νέον κτλ.*"

[365]) Velut Plut. de san. praec. 125 A; Amat. 759 F (una cum Gnathaenio); Sext. Emp. adv. math. IX 153 (p. 424, 15 sqq. Bekk.); Prop. II 6, 1 sqq. (una cum Thaide). Xenocratis temperantiam ambigebant Lais an Phryne tentasset: Diog. Laert. IV 7; cf. schol. Hor. sat. II 3, 254 — (si non inventa est historia, certe Phrynae tribuenda: sic apud Val. Max. IV 3, ext. 3); Diogenem, quem plurimi Laidis consuetudine usum esse dicunt (cf. p. 149 sq. c. adn. 375), Tertull. Apolog. 46 Phrynen amasse refert. Praeterea cf. Diog. Laert. VI 60 cum schol. Ar. Plut. 179. Ceterum Lais postea a scriptoribus saepius sive cum aliis sive sola commemoratur ut celebris meretrix: Philostr. ep. 22 (p. 474 Herch.) cum Thaide et Aristagora; id. ep. 38 (p. 489 H.) cum Timagora Aristagora Glycerio; Ovid. Amor. I 5, 12 (cum Semiramide); porro Plut. non posse suav. vivi sec. Epic. 1099 A; [id.] pro nob. c. 13 (p. 72, 27 Didot V); Philostr. ep. 44 (p. 480 Herch.); id. ep. 47 (ib.); Dionys. Antioch. ep. 39 (p. 266 H.); Theoph. Sim. ep. 24 (p. 770 H., *Τελέσιλλα Λαίδι*); id. ep. 69 (p. 783 H., *Καλλιόπη Λαίδι*); Nicet. Eugen. III 155; Anth. Pal. V 250; VII 222, 6; cf. VI 71; XI 67; adesp. com. fr. 261 (Ko. III 455).

[366]) Aliter Steph. Byz. s. *Κραστός*: *Ἀπίων δὲ ὅτι μόνος Πολέμων ἔφη τὴν Λαίδα Κορινθίαν*: hoc fortasse ex epigrammate natum, quod Athenaeo l. l. teste Polemoni debemus (v. p. 154), cf. v. 3 *ἥν* (sc. *Λαίδα*) · · *θρέψεν · Κόρινθος.*

Plutarchus Alcib. 39, Nic. 15, Pausanias II 2.5, schol. Aristoph. Plut. 179, Synesius ep. 3 fin. (p. 639 Herch.), Steph. Byzant. s. Ὕκκαρα (cf. s. Εὐκάρπεια).[367]) Tum, cum Nicias in expeditione Atheniensium Siciliensi Hyccara expugnasset, eam captam esse,[368]) ex illis produnt Plut. Nic. l. l. (altero loco tantum αἰχμάλωτος eam nominat non aliter ac Polemon l. l.), Pausan. l. l., schol. Arist. l. l. (apud Synesium l. l. est ἀνδράποδον · · Ὑκκαρικὸν ἐκ Σικελίας ἐωνημένον): non dubito, quin haec omnia a Timaeo, antiquissimo teste, profecta sint, quem in decimo tertio historiarum libro, e quo illud de Laide desumptum est, de Atheniensium bello Siciliensi egisse e tota eius operis dispositione efficitur.[369]) Quae ei captivae acciderint, summatim referunt: Plut. Nic. l. l.: · · ὅθεν λέγεται (sc. Νικίας) καὶ Λαΐδα τὴν ἑταίραν ἔτι κόρην ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις πραθεῖσαν εἰς Πελοπόννησον κομισθῆναι; Paus. l. l.: λέγεται παῖδα οὖσαν ὑπὸ Νικίου καὶ Ἀθηναίων ἁλῶναι, πραθεῖσαν δὲ ἐς Κόρινθον ὑπερβαλέσθαι κάλλει τὰς τότε ἑταίρας; paulo plura exhibet schol. Arist. l. l., qui eam septuennem a Corinthio quodam emptam esse narrat atque in patriam uxori dono missam. Corinthum eam venisse, vel potius Laidem speciosam Corinthiam fuisse inter omnes constabat.[370]) De eius aetate fides habenda sit scholiastae

---

[367]) Neanthes sec. Steph. Byz. s. *Κραστός* hoc oppidum Siciliae eius ut Epicharmi poetae patriam esse voluit.

[368]) Hyccarorum expugnationem apud Thucydidem invenies memoratam VI 62, qui § 3 hoc: *ἀνδραποδίσαντες τὴν πόλιν* · · · ·, postea § 4: *καὶ τἀνδράποδα ἀπέδοσαν καὶ ἐγένοντο ἐξ αὐτῶν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν τάλαντα.*

[369]) Cf. Jul. Beloch Die Oekonomie der Geschichte des Timaios Fleck. Jahrb. 123 (1881) p. 700. 701. 706; E. Schwartz Herm. XXXIV (1899) 485.

[370]) Cf. Strattis fr. 1., Anaxandr. fr. 1., Eriph. fr. 1. (v. p. 143. 121. 146); Hermesian. apud Athen. XIII 599 b; Sotion ap. Gell. N. A. I 8; Polem. ap. Steph. Byz. s. *Κραστός* (cf. adn. 366); Plut. Alcib. 39; [Alciphr.] fragm. in ed. Schep. p. 156 sq.; Philostr. ep. 47 (p. 480 Herch.); Dionys. Antioch. ep. 39 (p. 266 H.); Epigr. ap. Athen. XIII 589 b; Anth. Pal. VII 218, 3; 220; schol. Arist. Plut. 149 (cf. Suid. s. *Ἑταῖραι Κορίνθιαι*). 179; Nicet. Eugen. III 155; Claudian. in Eutrop. I 90 (Ephyreia Lais); Suid. s. *ἀπαίδευτοι.*

necne, nescio, neque vero video, cur diffidamus. Ergo vel annum natalem Laidis possumus computare: erat fere annus 422 a. Chr. n.[371] Nonne egregie tempora concinunt? Floruit Lais initio quarti saeculi; anno 391, quo Phaonem Plato docuit, adulescentula esse desierat: suspicor simili ioco eam primo iuventutis flore amisso ab illo vita privatam esse atque Cratinum ab Aristophane (Pac. 700 sqq.).[372] Nam cum tribus annis post Phaonem Platonicam Lais quaedam a comico poeta commemoretur (Arist. Plut. 179 [cf. adn. 359]), et ipse scholiasta ille Aristophanis adiciat fortasse vivam eam a Platone nominari (cf. adn. 372), quivis multo potius opinor concludet e versu Platonico male intellecto Laidis mortem falso collegisse interpretes quam apud Aristophanem Laidem iuniorem esse agnoscendam: nam paene aequales evaderent Lais maior minorque.[373]

Quam bene porro isti Laidi istius temporis Aristippus, amator praeclarissimus,[374] conveniat, nemo non videt. — Nec non Diogenes cynicus eius aetatem potest attigisse[375]: mor-

---

[371]) Errore calami puto factum esse, ut Mein. h. cr. 414 Ol. 88, 2 (= 427/6) eam natam diceret; scribendum erat Ol. 89, 2 (= 423/2); Meinekium secutus est Kockius II 282.

[372]) Schol. Arist. l. l. *ἐμφαίνει δὲ καὶ Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι · · ὡς μηκέτι αὐτῆς οὔσης. δύναται μέντοι καὶ αὐτῆς ζώσης λέγεσθαι.* — De Cratino cf. Bergk rell. p. 187; Zielinski Rh. Mus. XXXIX (1884) p. 301 sqq.

[373]) Ceterum ne scholiastam quidem Aristophanis quicquam videmus compertum habuisse de duabus Laidibus, qui miretur, *ὅτι Ἀριστοφάνης οὐ λέγει σύμφωνα κατὰ τοὺς χρόνους.*

[374]) Cf. Hermesian. apud Athen. XIII 599 b; Sotion apud Diog. Laert. II 75. 84/5 (catalogus librorum Aristippi, in quibus *πρὸς Λαΐδα* · · *πρὸς Λαΐδα περὶ τοῦ κατόπτρου*: hoc titulo epigrammata illa in memoriam revocantur, in quibus Lais flore amisso speculum suum Veneri vovens inducitur, A P VI 1. 18. (19.) 20; — ipsius Laidis scripta obscuro loco memorantur Plinii N. h. XXVIII 81); Plut. Mor. 750 E; Athen. XII 544 b d. XIII 588 c e f; Clem. Alex. Strom. II 20, 118 (Theodor. gr. aff. cur. XII 50); Cic. ad fam. IX 26, 2; Lact. Inst. III 15; Acron ad Hor. ep. I 17, 36; — cf. Zeller Philos. d. Griech.[4] II a, 362 adn. 4.

[375]) V. Athen. XIII 588 c f; — cf. Luc. Ver. hist. II 18; Anth. Pal. V 302, 19 sq.; schol. Arist. Plut. 179; Theoph. Sim. ep. 60 (p. 780 Herch.). De Diogenis cum Phryna consuetudine auctor est Tertull. Apolog. 46 (v. adn. 365). — Cf. Zeller Philos. d. Griech.[4] II a, 322 adn. 1.

tuus est secundum Diogenem Laert. VI 76 a. 323 nonaginta fere annos natus: fuit igitur, si huic fides, decem fere annis Laide natu minor. Quando Athenas vel Corinthum venerit, nescimus (cf. Zeller l. l. p. 283/4 adn. 1).

Aliam narratiunculam, quantum ad rationes temporum, examinemus: legimus apud Clementem Alexandr. Strom. III 50, 4 sq. haec: Ὅ τε Κυρηναῖος Ἀριστοτέλης Λαΐδα ἐρῶσαν ὑπερεώρα μόνος. Ὀμωμοκὼς οὖν τῇ ἑταίρᾳ, ἦ μὴν ἀπάξειν αὐτὴν εἰς τὴν πατρίδα, εἰ συμπράξειεν αὐτῷ τινα πρὸς τοὺς ἀνταγωνιστάς, ἐπειδὴ διεπράξατο, χαριέντως ἐκτελῶν τὸν ὅρκον, γραψάμενος αὐτῆς ὡς ὅτι μάλιστα ὁμοιοτάτην εἰκόνα, ἀνέστησεν εἰς Κυρήνην, ὡς ἱστορεῖ Ἴστρος ἐν τῷ περὶ ἰδιότητος ἄθλων (= F H G I 424 sq.). Id ad Aristotelem Cyrenaicum philosophum (cf. Zeller Philos. d. Gr. II a[4], 343 c. adn. 2), Stilponis aequalem, referre, ut fecit Natorpius apud P W II 1055, profecto non licet. Apud Aelianum, qui eadem de Laide narrat (V. h. X 2), Cyrenaeus ille Εὐβώτας vocatur, atque duos novimus Olympionicas similiter appellatos a Cyrenis oriundos: alter Ol. 93 (= 408) cursu vicisse traditur (Xen. Hell. I 2, 1; Diod. XIII 68, ubi Εὔβατος), alter quadriga Ol. 104 (= 364; Paus. VI 8, 2; cf. 4, 2). Neutrum cum illa, quam supra statuimus, Laidis aetate congruere[376]) non infitior. Sed quoniam apud Istrum, antiquiorem testem, qui fortasse ipse Cyrenensis fuit, aliud habemus nomen — et Aristotelem Olympionicam aliunde non novi — illam narratiunculam ad tempora definienda adhiberi posse nego.

Nullas adhuc offendimus difficultates, quibus duas Laides distinguere cogamur. Sed nonnulla consulto reposuimus nunc commemoranda. Nam praeterquam quod Laidem Hyccaris advectam esse tradunt, etiam filia Timandrae, amicae Alcibiadis, fuisse dicitur: Satyr. ap. Athen. XII 535 c. XIII 574 e (v. supra p. 142), Plut. Alcib. 39, schol. Arist. Plut. 179. Quae de eius origine duplex memoria, si utrique fides debetur, nullo alio modo potest coniungi, quam si Timandra ex Hyccaris orta esse

[376]) Ad Laidem quattuordecim annorum narratiunculam rettulit Holmius l. l. (adn. 356).

creditur, et dicit hoc schol. Arist. l. l.: αὕτη δὲ (sc. Λαΐς) θυγάτηρ ἦν Τιμάνδρας, ἥτις ἐξ Ὑκκάρων τῆς Σικελίας ἦν: quae sequuntur, eis nullam fidem tribuo.[377]) Dionysium tyrannum Philoxeno, poetae dithyrambico, eam donasse atque cum hoc venisse Corinthum: nam post Alcibiadis mortem Philoxenum Syracusis commoratum esse apud Dionysium consentaneum est. Praeterea haec omnia ab Laide ad Timandram translata esse videntur; quod enim addit scholiasta „λέγουσι δὲ ὅτι ἅμα Ἀλεξάνδρῳ ἀπεδήμησεν εἰς Πέρσας ἐκ Κορίνθου“ Thaidi deberi vidit Hemsterhusius (cf. supra p. 139), et non Timandra et Thais confundebantur, sed videlicet Lais et Thais. Quare vereor, ne etiam origo Siciliensis Timandrae e Laidis orta sit, atque fateor hac in re aliquid inesse difficultatis. Sed ne hoc quidem causam praebuit, cur duas vellent: putant enim maiorem Laidem Corinthiam fuisse, minorem Hyccarensem filiam Timandrae. Hoc unum addubitabat Jacobsius (l. l. p. 225), num recte a. 415 capta Lais minor tradita esset, natamque hanc fabulam esse coniecit e minoris Laidis aetate cum maioris confusa. Sed primum idcirco, quod Lais plerumque Corinthia fuisse perhibetur, nequaquam nobis Lais quaedam vere Corinthia procreanda est: si puellula, uti tradunt veteres, Corinthum venit, ibi adolevit, ibi meretrix facta est, ibi gloriam suam sibi peperit, sane non est mirandum, quod plurimi et aequales et posteriores pro Corinthia eam habebant veram patriam nil curantes. — Porro filiam Timandrae, Alcibiadis amicae, post annum 380 natam esse non crediderim[378]): igitur ad maiorem essent referendae comicorum cavillationes (praeter Theophili fortasse versum, de quo v. supra p. 146), Lysiae oratio, Aristippi consuetudo Diogenisque — apud

---

[377]) Desunt in codd. R et V. — Cf. Freeman l. l. (adn. 356) p. 591.

[378]) Apud Demetr. *π. ἑρμ.* § 302 citatur *ὁ τῆς Τιμάνδρας κατηγορῶν*, quem Hyperidem esse eo, quod huius orationem *πρὸς Τίμανδρον* Suid. s. *παιδάριον* affert, nequaquam evincitur: voluit hoc Hemsterhusius (ad schol. Arist. Plut. 179) atque secutus est Blassius ed. Hyp.³ p. 122. Sed vide apud Kirchn. II 308 tres viros nomine *Τίμανδρον*, e quibus is, qui sub numero 13604 positus est, quarto saeculo erat.

Athenaeum XIII 588 f illum ab hoc propter Laidis amorem audimus derisum — atque iuniori paene nihil relinqueretur nisi Apelles patronus et Demosthenes amore captus, quem habes apud Athenaeum XIII 588 c, Gell. N. A. I 8 (e Sotione, qui idem auctor est de Laide atque Aristippo apud Diogenem Laert. v. supra adn. 374), Euseb. apud Macrobium II 2, 11:[379]) est illud Demosthenicum: οὐκ ἀγοράζω τοσούτου μετανοῆσαι (vel οὐκ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν), quod dixisse fertur, cum Lais, „quam clanculum adiit", nimium pretii amoris eum poposcisset. At huic fabellae nemo multum fidei tribuerit (sic iam Jacobsius l. l. p. 182), atque ne tantulum quidem commutatur eius ratio, si pro Laide alterius meretricis nomen scribitur, dummodo dives fuerit atque procax, velut Sinopa, Phryne etc., siquidem sal omne in dicto Demosthenis situm est.

Sed Apelles pictor celeberrimus pulchritudinem Laidis nondum nubilis primus perspexit! Narrat hoc Athen. XIII 588 c d (cf. e); [380]) floruit ille Olymp. 112 = 332—29 (Plin. N. H. XXXV 79), sed etiam successores Alexandri magni eius arte dicuntur usi esse,[381]) quare nequeo intellegere, quomodo filiam amicae Alcibiadis ille puellulam possit vidisse. Ergo maiorem Laidem e Timandra natam putemus, iuniorem autem Apellis aequalem fuisse paulo natu minorem? Non credo: nam ita denuo evadit Lais nobilissima, de qua silentium apud comicos.[382]) Immo si fide digna est illa narratiuncula, T h a i d i s venustatem pictorem delectasse conicio, etiamsi nimis audacter, quod traditum est, videor mutare: illius aetas, utpote Alexandri amicae, optime cum pictoris congruit.

---

[379]) Cf. epigr. lat. 987 (Anthol. vet. Latin. Epigr. et Poem. ed. Henricus Meyerus [Lips. 1835] II p. 37), ubi de Demosthenis nomine tacetur.

[380]) Cf. [Alciphr.] fragm. in ed. Schep. p. 156 sq. = Herch. Epistologr. gr. p. 95, quocum cohaeret Aristaeneti ep. 1 primi libri (p. 133 Herch.).

[381]) Cf. Brunn Gesch. d. griech. Künstl. II 204; Rossbach apud PW I 2689.

[382]) Iterum (cf. p. 151) excipiendus est Theophili versus (v. p. 143. 146), in quo si contendis iuniorem Laidem inveniri, ego neque possum obloqui nec tamen assentior.

Demosthenes igitur et Apelles iuniori Laidi adempti sunt. Cui ut aliquid restet, eam maiorem fuisse, i. e. quinto saeculo natam sumamus necesse est, quod per Timandrae matris aetatem sane licet. At hoc si facimus, maiorem Laidem plane despoliamus, quippe quae nil accipiat nisi forsitan illud Machonis apud Athenaeum XIII 582 c d, qui quomodo Euripidem poetam aliquando muliercula petulans luserit narrat. [383]) Hac re autem temporum rationes exstruere, praeterquam quod Machonis testimonium levis ponderis est, vel eo vetamur, quod apud Stobaeum Flor. III 5, 36 Hense (= 5, 82 Mein.) Plato, apud Plutarchum de aud. poet. p. 33 C Antisthenes simili modo Euripidem compellasse feruntur, cf. Jacobs l. l. p. 236, Eurip. fr. 19 Nauck² p. 368. Praeterea mirum est, quod huius Laidis maioris in antiquioribus comoediis Aristophaneis nulla mentio fit. — Vides, quam non duae Laides insignes possint concordare.

Sed unum nondum commemoravimus, quo inprimis, duae ut crederentur, videbatur postulari: quae de morte atque sepulcro inter se discrepantia memoriae produntur. Etenim multi narrant eam Thessalum quendam, quem amasset, secutam in Thessalia a mulieribus aemulis ξυλίναις χελώναις trucidatam esse (Polemon apud Athen. XIII 589 a b: Plut. Amat. 21 (767 F sq.); Pausan. II 2, 5; schol. Arist. Plut. 179; Hellad. apud Phot. cod. 279, p. 533 b 40 sqq. Bekk.; Suid. s. χελώνη). [384]) Polemon Athenai hic exscribatur: καθὰ καὶ Πολέμων εἴρηκεν (sc. Hyccarensem eam fuisse), ἀναιρεθῆναι φάσκων αὐτὴν ὑπό τινων γυναικῶν ἐν Θετταλίᾳ, ἐρασθεῖσάν τινος Παυσανίου Θετταλοῦ, [385]) κατὰ φθόνον καὶ δυσζηλίαν [ταῖς] ξυλίναις χελώναις τυπτομένην ἐν Ἀφροδίτης ἱερῷ· διὸ καὶ τὸ τέμενος κληθῆναι ἀνοσίας

---

[383]) Aliud Laidis facete dictum apud Athen. 585 d proditur nullo alio nomine addito.

[384]) Olivae granum mortem ei intulisse auctor est Ptolem. Heph. ap. Phot. cod. 190 (p. 146 b 17 sqq. Bekk.), solus. Cf. quae de Sophoclis et Anacreontis (v. PW I 2039) morte narrabant veteres (cf. supra p. 23 sq.).

[385]) Plutarcho Thessalus ille appellatur Hippolochus, Pausaniae Hippostratus, scholiastae Arist. *Εὐρύλοχος ἢ Ἀριστόνικος.*

Ἀφροδίτης.[386]) δείκνυσθαι δ' αὐτῆς τάφον παρὰ τῷ Πηνειῷ σημεῖον ἔχοντα ὑδρίαν λιθίνην καὶ ἐπίγραμμα τόδε·

τῆσδέ ποθ' ἡ μεγάλαυχος ἀνίκητός τε πρὸς ἀλκὴν
Ἑλλὰς ἐδουλώθη κάλλεος ἰσοθέου,
Λαΐδος· ἣν ἐτέκνωσεν Ἔρως, θρέψεν δὲ Κόρινθος·
κεῖται δ' ἐν κλεινοῖς Θετταλικοῖς πεδίοις.[387])

αὐτοσχεδιάζουσιν οὖν οἱ λέγοντες αὐτὴν ἐν Κορίνθῳ τεθάφθαι πρὸς τῷ Κρανείῳ. Non dubito, quin etiam haec extrema verba Polemoni debeantur: ἐν τῷ ἕκτῳ τῶν πρὸς Τίμαιον haec scripserat (Athen. 588 c), et quoniam de Laidis origine cum Timaeo consentit (v. supra p. 147), de sepulcro eum erroris insimulasse putandus est: apparet ad Timaeum referendum esse, quod de Laidis monumento Corinthio traditur (cf. Paus. l. l.: πρὸ δὲ τῆς πόλεως (Corinthi) κυπαρίσσων ἐστὶν ἄλσος ὀνομαζόμενον Κράνειον. ἐνταῦθα ···· καὶ τάφος Λαΐδος, ᾧ δὴ λέαινα ἐπίθημά ἐστι κριὸν ἔχουσα ἐν τοῖς προτέροις ποσίν. ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ἐν Θεσσαλίᾳ Λαΐδος φάμενον μνῆμα εἶναι κτλ.). Egregie videtur confirmari eorum opinio, qui duas Laides fuisse volunt: maiorem Laidem in patria dicunt consenuisse (cf. Epicrat. frgm. laud. p. 141)[388]) ibique mortuam (Philet. fr. laud. p. 143. 122 sq.) Corinthi sepulturam invenisse,[389]) Laidis iunioris fuisse sepulcrum in Thessalia situm. At Polemo certe non hoc modo ista sepulcra inter se distinguebat: Timaeo obiecisset, quod unam tantum Laidem nosset, cum duae fuissent. Et ne nos quidem propter dua sepulcra duas Laides credere necesse est: de illo sepulcro Thessalico cum Polemone teste nequeat dubitari,[390]) Corinthium pro cenotaphio habuerim a propinquis fortasse mulieris exstructo. Neque Epicratis fragmentum obstat, quoniam

---

[386]) Cf. Tuempel Fleck. Jahrb. Suppl. 16 (1888) 214; id. ap. PW I 2729 sq.; Gruppe Gr. Myth. p. 504 adn.: p. 1349 adn. 3.

[387]) Posteriorum poetarum elogia ficta v. in Anth. Pal. VII 218. 219. 220.

[388]) Laidem vetulam habes etiam Anth. Pal. IX 260; lena facta est apud Claudian. in Eutrop. I 90 sqq.; cf. Synes. l. l. (v. p. 148).

[389]) Cf. epigramma Agathiae Anth. Pal. VII 220 *Ἔρπων εἰς Ἐφύρην τάφον ἔδρακον ἀμφὶ κέλευθον | Λαΐδος ἀρχαίης, ὡς τὸ χάραγμα λέγει.*

[390]) Aliter iudicat Tuempel l. l. (v. adn. 386).

nescimus, quando in Thessaliam abierit, nec Philetaeri versus, quo nil aliud fortasse dictum est quam ne anum quidem Laidem desiisse amare.

Unam igitur Laidem fuisse celebrem[391]) contendo Hyccarensem, cuius aetatis fines supra satis circumscribebantur. Quid de Timandra matre statuam, dubito. Tamen licet fortasse coniectare puellulam Laidem Corinthi nescio quo pacto in Timandrae manus devenisse atque apud eam educatam artem didicisse meretriciam; hoc Timandrae nomen matris attulisse.[392]) Quod suspicanti potius assentiar quam ei, qui opinetur Alcibiadis filiam Laidem reddere voluisse eum, qui primus e Timandra ortam eam dixisset. Nam apud Dipnosophistas ne exile quidem vestigium talis opinionis invenitur.

Quosdam veteres homines doctos, posterioris opinor aetatis (certe post Polemonem), duas fuisse Laides credidisse illo loco Athenaei, quem supra exscripsimus (p. 142), ostenditur,[393]) sed haec erat coniectura non aliter iudicanda ac quales nos solemus periclitari.

In hanc Laidem Cephisodorus et Epicrates scripsere fabulas suas, quas Ἀντιλαΐς nominabant, quae num inter se cohaeserint ut verisimile est ita nescitur. Titulum ita explico, ut poetas aliam meretricem induxisse putem, quae aut Laidis munere fungeretur (cf. Ar. Eq. 1043 sq. et voces quales sunt ἀντιβασιλεύς ἀντίδουλος ἀντιπρεσβευτής ἀντιστράτηγος; ἀντίπετρος ἀντίλυρος ἀντίφονος al.) aut in eam quodammodo contenderet (cf. ἀντίπολις ἀντισοφιστής ἀντιστρατιώτης ἀντιφιλόσοφος ἀντίχριστος

---

[391]) Celebrem dico; nam minime nego fieri potuisse, ut una alterave meretricula obscura postea celeberrimo nomine se ornaret.

[392]) Si Theopompo apud Athen. XIII 595 a fides, Pythionica erat serva Bacchidis, Bacchis serva Sinopae. — Cf. or. c. Neaer. § 19 (supra p. 120) *προσειποῦσα δ' αὐτας ὀνόματι θυγατέρας* (sc. Nicarete puellas illas, quarum corpora venditabat).

[393]) Non credo Agathiam epigrammate suo (cf. adn. 389) maiorem Laidem praedicare voluisse, cum scriberet *τάφον ἔδρακον* · · · *Λαΐδος ἀρχαίης* (ut videtur sententia esse Papii in nom. lex. s. v.): nam in maioris certe sepulcro opinor non legebatur eam maiorem fuisse: Agathias autem addit: *ὡς τὸ χάραγμα λέγει.* Cf. Nic. Ther. 487 *ἀρχαίη Μετάνειρα.*

al.). Similis est Dioxippi titulus Ἀντιπορνοβοσκός (Ko. III 358). — Duas Laides fuisse si melius esset traditum, diceret forsitan aliquis ipso titulo minorem significari Laidem, quae cum maiore de principatu meretricio inciperet certare; sed ipse titulus id nullo modo poscit. — An credamus finxisse poetas iuniorem Laidem, cui postea vitam dedissent historici?

His meretriciis titulis expeditis alios nonnullos allaturus sum, qui num huc pertineant dubium est. Eorum duas distinguam classes eodem quo antea pacto (cf. p. 95): primum eos enumerabo comoediarum indices, quos a propriis nominibus desumptos esse licet certum sit, tamen a fabulosis mulieribus tractos esse haud absurdum est existimare; deinde eos apponam, qui num pro nominibus habendi sint ambiguum.

Alcaei Καλλιστώ.

Illorum primus sit Alcaei titulus Callisto (Mein. h. cr. 247: F C G II 2, 829 adn.; Ko. I 759 sq.), qui potest referri ad heroidem illam sic nominatam, Lycaonis filiam, aut, si Meinekium audis, ad Callistonem meretricem (Athen. XIII 583 a). At eo, quod haec mulier nomine Καλλίστιον, cognomine Ὗς apud Machonem Athenaei l. l. aequalis est Gnathaenae illius praeclarae Diphili amicae (de qua inpr. vide Wagner Diss. p. 13 sqq.), certe non commendatur illa coniectura, quamvis paulum fidei tribuas Machoni: Alcaeus enim iam a. 388 fabulam docuit (una cum Arist. Pluto, v. Argum. IV Plut.), eademque de causa dubia est Nauckii opinio (Aristoph. Byz. p. 277 sq. adn. 11), qui ad eandem meretricem Cephisodori fabulam, quae Ὗς inscripta est (Mein. h. cr. 268; Ko. I 801 sq.), pertinuisse coniecit. Nam Cephisodorus aequalis fuisse videtur Alcaei (v. p. 144 sq.). Num „sus Boeotia" intellegenda sit, quod Hemsterhusius voluit (cf. Mein. l. l.), nescio.[394] — Aliam meretricem Καλλιστώ, τὴν ἐπικληθεῖσαν Πτωχελένην, commemorat Athen. XIII 585 b c ex Aristodemo (ἐν δευτέρῳ Γελοίων Ἀπομνη-

[394]) Cet. cf. Aristoph. fr. 917 (Ko. I 594).

μονευμάτων). Et nomen omnino creberrime Atheniensibus mulieribus usurpabatur.[395]) — At tamen malim putare Callistus fabulosae res poetam ridicule in fabula sua repraesentasse,[396]) praesertim cum Amphidem comicum eiusdem argumenti fabulam conscripsisse traditum sit (cf. eius fr. 47, Ko. II 249). Nec repugnare mihi quidem videtur fragmentum illud, quod servavit Athen. IX 399 f (= 17 Ko.): 'Αλκαῖος δ' ἐν Καλλιστοῖ καὶ ὡς πολλῶν ὄντων (scil. δασυπόδων ἐν 'Αττικῇ) ἐμφανίζει διὰ τούτων

κορίαννον ἵνα τί λεπτόν; — ἵνα τοὺς δασύποδας
οὓς ἂν λάβωμεν ἁλσὶ διαπάττειν ἔχῃς.

Artemin audio unamque ex eius comitibus (ipsam fortasse Callistonem), quae ad venandum opus sunt, parantes. Kockius autem quod ad hos versus annotat l. l.: „Cum scaena fuerit in Attica, intellegi non posse videtur Callisto, Arcadis mater", haud recte mihi concludere videtur. Qui primus his versibus usus est, ut suam de Atticis leporibus sententiam probaret, exscripsit eos non respiciens, ubinam scaenam esse voluisset poeta: sat habebat ex Attico scriptore eos deprompsisse. — Simile comoediae argumentum in Pasiphae sua sibi elegit Alcaeus (Ko. I 762). Quae cum ita sint, Καλλιστώ fabulam meretriciis titulis non accensendam esse credo.

Ephippi Ἄρτεμις

Ephippi Artemis (Mein. h. cr. 351; Ko. II 250 sq.) utrum a dea appellata esset an a muliere cognomini, Meinekio videbatur dubium et etiamnunc dubium est. Nominis humani Ἄρτεμις exemplum attulit Mein. Diog. Laert. III 42, ubi Platonis serva sic nominatur. Nunc ex inscriptionibus potest addi e. g. I G II 775 b II 7. 3403. 3516. 3517. 3518. Cf. Fick-Bechtel p. 304, Bechtel Fr. p. 76 sq., qui cum IV saec. mulier hoc nomine designaretur, 'Αρτεμίς scribendum esse coniecit. Atque hoc

---

[395]) Apud Kirchn. viginti (I 544 sq. II 468); ter *Καλλίστιον* ap. eundem.
[396]) Idem suspicatus est Kaibelius apud PW I 1506.

concedendum est, nomina magnorum deum nusquam in comoediae titulis inveniri (velut Ζεύς Ἥρα Ἀπόλλων etc.) nisi adiecto attributo: i. e. una fabula excepta, Platonis dico Ζεὺς κακούμενος, semper de deorum γοναῖς agebatur (cf. Mein. h. cr. 278 sqq.) et hoc indicabatur in titulis, velut Ἀθηνᾶς γοναί, Ἀφροδίτης γοναί, Ἄρεως γοναί cet. At Artemin certe partes egisse in Amphidis Callistone dices (v. supra p. 157; — si fabula sic fuit appellata) nec non in Cephisodori cognomini comoedia (v. supra eiusque fr. 17 Ko.): concedo, itaque de hac Ephippi fabula iudicium cohibeo. Doctam eam esse anno 367 bene demonstravit Kockius (Rh. Mus. XXXVII [1882] p. 130 sqq.). Cf. Kaibel apud P W V 2858.

Alexidis Γαλάτεια.

Ad Alexidis Galateam (Mein. h. cr. 390; Ko. II 310 sq.) haec annotat Ko. l. l.: „Fortasse Galatea tibicina, Dionysii Syracusani meretrix, vitiata a Philoxeno, significatur, de qua Athenaeus 1, 6. 7 ποιῶν τὸν Κύκλωπα (Φιλόξενος) συνέθηκε τὸν μῦθον εἰς τὸ περὶ αὐτόν γενόμενον πάθος (in lautumias coniectus erat propter Galateae amorem), τὸν μὲν Διονύσιον Κύκλωπα ὑποστησάμενος, τὴν δ' αὐλητρίδα Γαλάτειαν, ἑαυτὸν δ' Ὀδυσσέα. Philoxenus enim aliis quoque comicis largam praebuit fabulandi materiam.“ At Alexidis temporibus (cf. adn. 236) Dionysium maiorem mortuum eiusque amicam nil opinor curabant Athenienses. Potest autem fabula ad Cyclopis Galateaeque amores referri nulla eiusmodi significatione, quam Kockius voluit, latente;[397]) potest, ni fallor, titulo meretrix designata esse, quae nil habet cum Cyclopis amica commune nisi nomen: nam non desunt humani nominis Γαλάτεια exempla: cf. Fick-Bechtel p. 332; Bechtel Fr. p. 73; Kirchn. s. nr. 2938. 2937 a; Anth. Pal. V 244. 256; Theophyl. Sim. ep. 33 (p. 773 Herch.) Γαλάτεια Θέτιδι (meretrices), cf. eiusd. fr. 39 p. 775 Herch.[398])

---

[397]) Cf. Nicocharis *Γαλάτειαν* Mein. h. cr. 254 sq., Ko. I 770 sq.

[398]) Cf. meretricum nomina *Θάλαττα* (supra p. 114 sq.) et *Γαλήνη* Philet. fr. 9, 6 (supra p. 123).

Atque magis haec mihi placet coniectura ideo, quod fr. 36 Ko., quo servus narrat dominum suum doctrina Aristippi corruptum esse, ad Cyclopem pertinere non posse videtur.

Alexidis Κράτεια ἢ Φαρμακοπώλης.

Docte egit de Alexidis fabula Κράτεια ἢ Φαρμακοπώλης (Mein. h. cr. 395; Ko. II 334 sqq.; ita scribendum, non Κρατεύας) Kaibelius Herm. XXV (1890) p. 98 sq. ascito vasculo in Cabirorum sacro Thebano reperto (Winnefeld Athen. Mitt. XIII p. 420 sq. et tab. 9); quae partes ipsi Cratiae fuerint, e reliquiis comoediae cognosci nequit, sed non videtur titulus meretriciis accensendus esse.[399])

Anno 306 comoediam actam dicunt. Propinat enim, qui in fragmento 111 Ko. loquitur, Antigono regi[400]) victori, Demetrio adulescentulo, Philae Aphroditae. Kockius ad loc. haec profert: „vulgo haec ad victoriam navalem, non tam ab Antigono quam a Demetrio Poliorceta, apud Cyprum partam Ol. 118, 3 (= 306), λαμπρὰν καὶ καλήν teste Plutarcho Dem. 17, et ad Philam, primam Demetrii uxorem, Antipatri filiam, referuntur. cf. etiam Droysen Hellenism. I 501.“ Sed habet quasdam difficultates haec explicatio (id quod ipse Kockius non negat): primum quod Demetrius victoriam consecutus est, non Antigonus, deinde quod verus victor parum honorifice adulescentulus compellatur, denique quod Poliorcetes Athenis captis Euthydicam e gente Miltiadis prognatam uxorem duxit (Plut. Dem. 14; Diod. Sic. XX 40, 5). Quibus rebus perductus Bergkius (Rh. Mus. XXXV [1880] 261) ad Antigonum Gonatam rettulit versus eiusque uxorem Philam, filiam Seleuci, eorumque filium Demetrium; victoriam esse

---

[399]) Nomen Atheniensibus mulieribus non inusitatum erat: v. tres apud Kirchn. I 588. II 471 (s. IV. III. II). Cf. Fick-Bechtel p. 176; Bechtel Fr. p. 23; etiam in comoedia occurrit, v. Men. fr. 939 (Ko. III 243).

[400]) Cf. Niese I 315: „Die Athener sind die ersten, die in ihren Kundgebungen den Antigonos und Demetrios als Könige begrüßten: so in der Inschrift aus dem 6. Monate (Poseideon) d. J. 307/6. C. I. A. II 238.“ Cf. Plut. Demetr. 10.

coniecit eam, qua a. 264 Alexander, rex Molossorum, ab illis superatus est. Versus postea in Alexidis fabulam iterum doctam illatos esse. Atque Kaibelius quod in indice editionis Athenaei istam Philam uxorem Antigoni appellat, hanc Bergkii coniecturam quondam videtur accepisse. Sed idem apud PW I 1469, 31 sqq. haec: „In der K. ἢ Φ. wird auf König Antigonos, den jungen Demetrios und auf die Phila Aphrodite getrunken, wo Phila, da sie an dritter Stelle genannt ist, nicht Königin sein kann, also Demetrios' Gemahlin sein muß, die kurz vor 306 starb." [401]) Neque ego Bergkio assentiar, sed potius anno 306 (vel 305) dubitanter quidem fabulam ascribam: fortasse utramque mulierem pro legitima uxore habuit Poliorcetes. [402])

Denique adiciendi sunt ii tituli, qui utrum muliebria nomina sint necne ambiguntur.

Theopompi Νεμέα.

Dubius est Theopompi titulus Νεμέα (Mein. h. cr. 241; Ko. I 741 sq.), semel laudatus ab Athenaeo XI 470 f (= fr. 32 Ko.). Nomen notum est Νεμεάς, cuius nominis meretricem commemorat Hyperides κατὰ Πατροκλέους ap. Athen. XIII 587 c = Harp. s. Νεμεάς = fr. 142 Blass³. [403]) — Eundem titulum Apollodoro restituebat Mein. h. cr. 464 (cf. Ko. III 284).

---

[401]) Hac in re erravit vir doctus, quoniam Phila demum a. 287 sua manu mortua est (cf. Plut. Demetr. 45; Kaerst ap. PW IV 2789; Niese I 376).

[402]) Eundem Demetrium in fr. 94 (Ko. II 327, Equitis fabulae) praedicat Alexis propter legem illam a Sophocle Suniensi a. 307/6 latam (cf. Kirchn. s. nr. 12835), qua philosophi Athenis eiciebantur. Cf. Wilamow. Antig. v. Karyst. p. 194 sqq.; Martini apud PW IV 2826 sq.; Kaerst ib. 2773; Niese I 314 sq. — Aliter Kaibelius s. Alexis PW I 1469. — Etiam „dulcissimum regem" in Antiphan. fr. 81, 5 (Ko. II 44) memoratum Demetrium Poliorcetem esse bene coniecit Wilh. Urk. p. 57 sq., quamobrem Antiphani iuniori fabula (est *Δίδυμοι*) ascribenda est. — Cf. Plaut. Stich. 287; Trin. 207; Hueffner l. l. (adn. 179) p. 46 sq. 59 sq.

[403]) De nomine cf. Fick-Bechtel p. 345; Bechtel Fr. p. 53. 126.

Alcaei Παλαίστρα.

Neque melius res procedit de Alcaei Palaestra (Mein. h. cr. 248; Ko. I 761 sq.), quae hoc nomine ter citatur apud Athen., semel ap. eundem (XV 691 b) ἐν Παλαίστραις. Meretricis nomen est Palaestra in Plauti Rudente et in [Luc.] Λουκίῳ ἢ Ὄνῳ; cf. Bechtel Fr. p. 124 sq. — Hoc loco quid praeferendum sit, nescio. Nam qui palaestram vult intellegere, potest afferre Μυλῶνα Antiphanis (Ko. II 77), Βαλανεῖον Amphidis Timoclis Diphili (Ko. II 237. 451. 546).

Παννυχίς.

Porro hanc in classem inserendus est titulus Παννυχίς, qui apud quinque poetas invenitur: Pherecratis Ἰπνὸς ἢ Παννυχίς, Alexidis Παννυχὶς ἢ Ἔριθοι, Eubuli Hipparchi Callippi Παννυχίς (Mein. h. cr. 83. 401. 366. 458. 490; Ko. I 160 sqq. II 360 sqq. 193. III 274. 378 sq.). Meinek. l. l. 490 (ad Callippi Pannych.) hoc scripsit: „Titulus utrum ad pervigilii festivitates spectet an a Pannychide, mulierculae nomine, ductus sit incertum est. Cfr. Lobeckii Aglaoph. p. 435.“ Quod de omnibus his titulis dicendum est (cf. Ko. III 274). Atque meretricis nomen Pannychis est apud Luc. mer. dial. 9.[404]) Sed quod apud Fick-Bechtel p. 300 annotatur „Παννυχίς häufiger Hetärenname“, hoc propter istos comoediarum indices dictum puto. Quos tamen non sic explicaverim.[405]) Pervigilium enim ut intellegamus, commendatur primum proverbio illo παννυχὶς κωμική a Kockio allato (III 274): conferas Men. fr. 404 (Ko. III 117) = Gell. N. A. II 23, 15, ubi filia hominis pauperis in pervigilio vitiata esse dicitur (cf. Mein. F C G IV p. 191. 192), et Ἐπιτρέπ. v. 235. 257 (Lefebvre).[406]) Accedunt alia argumenta: alterum fragmentum comoediae

[404]) Cf. Petron. Sat. 25; Bechtel Fr. p. 125; Schmidt l. l. p. 198.

[405]) Praeivit Lobeck Aglaoph. p. 438 c. adn. [e].

[406]) De *παννυχίδι* in posterioris aetatis narratione amatoria cf. E. Rohde Griech. Rom.¹ p. 385 c. adn. 2.

Hipparcheae (omnino duo servata sunt) laudatur ἐν ταῖς Παννυχίσιν (Poll. 10, 108), qua voce sine dubio celebritates pervigilii significantur: cf. Athen. XV 668 c[407]) et respicias Ael. N. an. VII 19 (a Kockio l. l. allatum): τὰ μικρὰ μειράκια τὰ τοῦ Μενάνδρου ἐν ταῖς παννυχίσιν ἀκόλαστα.[408]) Porro Callippi comoediam a pervigilio nomen accepisse demonstrat unicum illud fragmentum apud Athen. XV 668 c: ἦν δέ τι καὶ ἄλλο κοτταβίων εἶδος προτιθέμενον ἐν ταῖς παννυχίσιν οὗ μνημονεύει Κάλλιππος ἐν Παννυχίδι διὰ τούτων κτλ. (sequitur fr. 1 Ko.): quare nescio, cur Meinekius suam de tituli significatione dubitationem usque ad Callippi comoediam tractandam reservaverit.[409]) Callippeo autem fragmento adducor, ut etiam Pherecratis fabulam de pervigilio interpreter: nam etiam in ea de cottabi ludo sermo erat (fr. 66 Ko.). Nec non convenit mulierum chorus, de quo e fr. 64 conclusit Kockius. Denuo igitur nobis obvia fit comoedia Pherecratea, qua ille antiquae comoediae scriptor posterioribus viam monstravit (cf. supra p. 113 sq.).[410]) Pherecratis Hipparchi Callippi titulos a pervigilio sumptos esse vidimus: quare de Eubuli et Alexidis idem existimandum contendo, licet e fragmentis nihil efficiatur. Comici posterioris aetatis poetae eadem atque eadem argumenta quotiens iactaverint, notum est (cf. supra titulum Φιλέταιρος p. 103 sq.). — Eosdem, qui ex Eubuli Pannychide

[407]) Praeterea v. Eurip. Hel. 1365.

[408]) Omisit locum, ni fallor, Kockius in Menandri fragmentis; fortasse ad Plocium referendus est. Sed facile fieri potuisse credo, ut etiam Menander comoediam *Παννυχίς* vel *Παννυχίδες* nominatam componeret atque aemulum inveniret Hipparchum non aliter atque in Thaide (cf. supra p. 140).

[409]) Quoniam e lapidibus complures histriones comicos nomine Callippum novimus, minus quam antea est, quod cum Porsono illo loco Athenaei pro Callippo Hipparchum scribamus. Cf. Wilh. Urk. p. 43 sqq., inprim. 45. 153.

[410]) Utra pars duplicis tituli genuina sit, non magis scio quam Benderus Diss. p. 44; sed propterea, quod duplicem titulum Athenaeus affert, non licet de duabus comoediis cogitare. — Etiamsi altera pars postea addita est, nil in re mutatur, quia titulum certe e dramatis actione sumpsit, qui addidit.

afferuntur, versus idem poeta in Nannio sua posuit; — in Alexidea comoedia magnae coqui erant partes, cf. fr. 172. 173. 174. 175 Ko. — De duplici titulo cf. Bender Diss. p. 53.[411])

Philemonis Πανήγυρις.

Eadem suspicio, quae de Pannychide, alicui moveatur de Philemonis Panegyride (Ko. II 492 sq.). Nam nomen proprium est Panegyris in Plauti Sticho (cf. Fick-Bechtel p. 300; Bechtel Fr. p. 125 sqq.; Schmidt l. l. p. 198). Tamen de conventu titulum interpretari praestat praecipue collatis Diodori Batonisque Πανηγυρισταῖς, Euphronis Θεωροῖς, cf. Dietze Diss. p. 92.

Philetaeri Κυναγίς.

Ad Philetaeri Κυναγίδα (Mein. h. cr. 350; Ko. II 231 sqq.) Mein. annotavit haec: „Titulus fabulae utrum de venatrice interpretandus, an pro nomine proprio meretricis habendus sit, incertum est.“ Nec possum tollere dubitationem. Comoediam annis fere 370—65 doctam esse supra (p. 122 sqq.) coniecimus.

Μύστις.

Comoedias Μύστις appellatas tres, quantum nunc scimus, poetae scripserunt: Antiphanes (Mein. h. cr. 338; Ko. II 77 sq.), Philemo (Ko. II 490)[412]), Philippides (innotuit e lapide nuper reperto, v. Wilh. Urk. p. 44 sq.: Philipp. Mystide vicit a. 311, cf. Wilh. l. l. 48).[413]) Ad Antiphanis titulum Kockius ascripsit: „Aut nomen proprium aut a μύστης derivatum est.“ Sed proprii nominis nullum mihi praesto

[411]) Pervigilium indutum humana specie in antiquis monumentis effictum esse nuper demonstrabat. Maassius Archaeol. Jahrb. XXI (1906) p. 89 sqq.

[412]) Novum fragmentum vide in Photio Reitzenst. p. 97, 27 (*ἀμύγδαλα Φιλήμων ἐν Μύστιδι*).

[413]) Praeterea Kaibelius (apud Wilh. Urk. p. 54) in I G II 972 col. I v. 5 supplendum censuit *Μύστιδι*, quod valde incertum est.

est exemplum (Μύστα appellabatur amica Seleuci minoris Athen. XIII 578 a. 593 e; cf. Bechtel Fr. p. 68), et cum tres poetae eodem titulo usi sint, alteram interpretationem praefero: mysteria saepius in comoedia illudebantur.[414]) atque ad eorum celebritates bene quadrat Antiphan. fr. 163, ubi mulieres large bibendo delectantur;[415]) in fr. 164 de sacrificiis colloquuntur. — Conferendae sunt e. g. Alexidis Θεοφόρητος, Menandri Θεοφορουμένη et Ἱέρεια, Apollodori Carystii Ἱέρεια.

Alexidis Ἀτθίς.

E numero comoediarum Alexidis hic ponenda est Ἀτθίς (Mein. h. cr. 398; Ko. II 307 sq.): sic appellabatur Sapphus amica (cf. eius fr. 33. 41 Bergk), et meretrici hoc nomen est in Luciani epigr. VI 17. Sed eiusmodi mulier num hic intellegenda sit, nescio, siquidem etiam Attica comoedia quin potuerit titulo „puella Attica" ornari, non dubitabit, qui Plauti vel potius Diphili Rudentis argumenti meminerit.

Porro commemorandum est in lapide I G II 975 h Koehlerum Ἀτ]θίσιν supplevisse, Cappsium (Am. Journ. of Arch. IV [1900] 86 sq.) nomine Alexidis addito de illa fabula Atthis cogitasse; si recte suppletum est, initio tertii saeculi docta est comoedia (secundum Cappsium a. 281 vel 286). Sed res incerta est; ego quidem quarto saeculo fabulam assignare malo propter fragmentum 27 Ko., quo τὸ ἔμψυχον οὐδὲν ἐσθίειν illuditur: hoc cum Pythagoreorum irrisione cohaerere videtur, in qua mediae comoediae scriptores multi fuerunt, novae tacent (cf. p. 97).

Similis est eiusdem Alexidis titulus Ἑλληνίς (Mein. h. cr. 399; Ko. II 321): neque eum pro nomine proprio habuerim, cuius unum novi exemplum, Ἑλλανίς Agath. in Anth. Pal. VII 614.

---

[414]) Cf. Arist. Ran., Phrynichi *Μύσται* Ko. I 380. Dieterich Rh. Mus. XLVIII (1893) 275 sqq.; Helm Lucian u. Menipp p. 71.

[415]) Cf. fr. 165; Suess Diss. (v. adn. 147) p. 129.

Alexidis Χορηγίς.

Alexidis Χορηγίδα (Mein. h. cr. 403; Ko. II 391 sq.) „de choraga interpretatur Schweighaeuserus: fortasse recte, quamquam Choregis etiam mulieris nomen fuit, ut constat ex Athen. XIII p. 577 c.“ (Sunt verba Meinekii l. l.) Athenaei locus hic est: Ἀριστοφῶν δ' ὁ ῥήτωρ ὁ τὸν νόμον εἰσενεγκὼν ἐπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος, ὃς ἂν μὴ ἐξ ἀστῆς γένηται νόθον εἶναι, αὐτὸς ἀπεδείχθη ὑπὸ Καλλιάδου[416]) τοῦ κωμικοῦ ἐκ Χορηγίδος τῆς ἑταίρας παιδοποιησάμενος, ὡς ὁ αὐτὸς ἱστορεῖ Καρύστιος ἐν τρίτῳ Ὑπομνημάτων.[417]) Amicam Aristophontis apud Alexidem memorari non crediderim, quamquam vitam orator perdiu produxit (cf. Schaefer Dem. I² 183 cum adn. 1; Kirchn. s. nr. 2108). Sed pro nomine scorti Choregide uti potuisse Alexidem nequaquam nego (cf. Kaibel apud P W I 1469, 59).

Alexidis Μεροπίς.

In numero meretriciorum Alexidis titulorum Kaibelius apud P W I 1469, 58 posuit etiam Μεροπίδα (Mein. h. cr. 381; Ko. II 351): sed ne unum quidem mihi succurrit humani nominis Μεροπίς exemplum. Quidni de illa terra fabulari licet cogitare, ut fecit Kockius, cuius descriptionem luculentam nono libro inseruerat Theopompus?[418]) Quod festivam comoediam praebuisse arbitror, cum praesertim in scaena comica qui auream vitam volebat depingere, ei multa exemplaria praesto fuisse nemo nesciat. Kockii coniectura si vera est, comoedia Platone vivo (v. fr. 147 Ko. et supra adn. 236) vix potest scripta esse.

Timoclis sive Xenarchi Πορφύρα.

Comoedia Πορφύρα appellata utrum Timoclis fuisset an Xenarchi dubitabatur (Mein. h. cr. 433; Ko. II 463. 470 sq.). De titulo Mein. l. l. haec: „a meretricis nomine ductum sus-

---

416) Mein. et Ko. *Καλλίου*.

417) De nomine cf. Fick-Bechtel p. 291; Bechtel Fr. p. 67.

418) Cf. E. Rohde Rh. Mus. XLVIII (1893) 110 sqq. = Kl. Schr. II 9 sqq.

picari licet; quamquam nihil impedit quominus de stragula veste cogitemus. Ita Καλάσιρις index fuit fabulae Alexideae." Apud Bechtel Fr. nomen non invenitur. Sed cf. Archipp. fr. 24 (Ko. I 683); Anth. Pal. VI 172 (Πορφυρίς). Hic quid praeferendum sit, plane nescio. — Cet. cf. supra p. 77 sq.

Eiusdem tituli fabula Augeae, poetae comici obscuri, a Suida s. n. memoratur (Mein. h. cr. 416).

Menandri Χαλκίς.

Dubius est titulus Χαλκίς Menandri (Mein. Men. et Phil. rell. p. 177; FCG III 533; Ko. III 147), allatus a Phot. et Suid. s. v. πέμπτη φθίνοντος (= fr. 512 Ko.), atque quaeritur, num pro Χαλκίδι scribendum sit Χαλκείοις: Χαλκεῖα enim nominata erat Menandrea comoedia saepius laudata, cf. Ko. III 146 sq. Quod si probas, similis error detegitur atque apud Athen. III 95 c Ἀξιόνικος ἐν χαλκιδι (cod. A), ubi recte, ut mihi videntur, editores Hemsterhusium secuti Axionici fabulam Χαλκιδικός nominatam intellexerunt aliunde notam (cf. Ko. II 414).

Sed ne Χαλκίς quidem explicatione caret: Meinek. (priore loco laud.) attulit Athen. VI 267 d: Πρόξενος δ' ἐν δευτέρῳ Λακωνικῆς πολιτείας ἐπικαλεῖσθαί φησιν χαλκίδας παρὰ Λακεδαιμονίοις τὰς θεραπαίνας.[419]) Altero loco laud. proprium nomen Chalcis ei videbatur coll. nominibus Χρυσίς (cf. supra p. 130) et Ἀργυρίς (Theogn. 1212; cf. I G XII 7, p. 112, nr. 456). — Aliquid certum affirmari non potest.

Eubuli Προσουσία ἢ Κύκνος.

Porro liceat hoc loco commemorare Eubuli titulum Προσουσία ἢ Κύκνος (Mein. h. cr. 366; Ko. II 196) adhuc non satis explicatum.[420]) Nescio an lucem afferat mulieris nomen Προσουσία, quod I G II 2963. 4097. 4097 b. 4098 legitur?[421])

---

[419]) Cf. titulum Ἅβρα adn. 423.

[420]) Bender Diss. p. 50 indicem quod non intellegit, sine ulla dubitatione delet. Cf. Kaibel ap. P W VI 878.

[421]) Cf. Bechtel Fr. p. 136.

Etiam Εὐανδρία (titulus Anaxilae Mein. h. cr. 408; Ko. II 265 sq.) et Εὔπλοια (titulus Antiphanis Mein. h. cr. 337; Ko. II 50 sq.) mulieres appellabantur, cf. Bechtel Fr. p. 133 sq.

Anaxandridis et Euphronis ΑΙΣΧΡΑ.

Pro nomine proprio an pro adiectivo habendus sit comoediae index αισχρα (Anaxandridis et Euphronis, Mein. h. cr. 369. 477; Ko. II 137. III 319) videntur dubitare editores, cum aut Αἴσχρα scribunt aut Αἰσχρά (hoc Kaibel Ath. VII 307 e. X 455 f, illud Mein. coll. Callim. epigr. 50 [Wil.] et Ko.). Athenis nomen non usitatum erat.[422]) Tamen utras partes sequar, equidem haereo: illud commendant tituli Αἰσχρίων (v. supra p. 64) et Κάλλαισχρος (v. p. 52), hoc Anaxandr. fr. 52, 9 (Ko. II 158, quod fortasse ad ΑΙΣΧΡΑΝ pertinet), Philippid. fr. 28 (Ko. III 310), praeterea alii tituli velut Alexidis Πονήρα (Ko. II 366 sqq.; de accentu cf. Herodian. I 197, 19 Lentz), Apollodori Carysti Ἐνεά (?) (ex coni. cf. Mein. h. cr. 464; Ko. III 284 sq.).[423])

Eandem dubitationem, quam ΑΙΣΧΡΑ, habent Eubuli Ὀλβία (Mein. h. cr. 365; Ko. II 190; potest nomen proprium esse, cf. Kirchn. s. nr. 11374, Bechtel Fr. p. 60, Kaibel ap. PW VI 878); — fortasse etiam Alexidis Λεύκη (Mein. h. cr. 401; Ko. II 344; muliebre nomen Λεύκη vide I G II 720 B II 53 [a. 320/19]. 1327); an Achillis insulam intellegamus?[424]) Diphili Πύρραν (Mein. h. cr. 456; Ko. II 563 sq.) potius pro meretricis nomine habuerim coll. Hor. Od. I 5, 3.[425])

---

[422]) Apud Becht. Fr. p. 49 *Αἶσχρον* et *Αἴσχριον*. Cf. Anth. Pal. V 181, 9.

[423]) Aliter explicandus est titulus *Ἅβρα* Nicostrati (Ko. II 219 sq.) coll. Suid. s. v.: *οὔτε ἡ ἁπλῶς θεράπαινα οὔτε ἡ εὔμορφος θεράπαινα, ἀλλ' οἰκότριψ γυναικὸς κόρη καὶ ἔντιμος εἴτε οἰκογενὴς εἴτε μή*. Cf. Etym. m. 4, 22; Bekk. Anecd. 322, 12 sqq. — Men. fr. 64. 438. 520 (Ko. III 21. 127. 149). Mein. Men. et Philem. rell. p. 25. — Cf. quae sub Menandri titulo *Χαλκίς* supra p. 166 annotata sunt.

[424]) De ea v. testimonia in Rosch. lex. myth. II 1986 sq. — Similis esset comoedia eiusdem poetae *Μεροπίδος* (cf. supra p. 165).

[425]) Cf. Bechtel Fr. p. 32. 46; Wendel l. l. (adn. 144).

De Menandri Θετταλῇ (Ko. III 65 sqq.) idem dicendum est quod supra de Syro Nicostrati (v. p. 107).

Anaxandridis Κέρκιον.

Qui ab Athenaeo III 106 a laudatur Anaxandridis comoediae titulus (ἐν Κερκίῳ) (Mein. h. cr. 371; Ko. II 143), dubius est utrum Κέρκιος fuerit an Κέρκιον, quorum alterum scripsit Kockius, alterum Kaibelius (apud P W I 2079). Illud si verum est, viri nomen vel cognomen est intellegendum a κέρκος ductum, sicut Λύκιος a λύκος, Μόσχιος a μόσχος.[426]) quod videtur stare posse; non enim desunt nomina per κερκ- formata[427]) et ipsius quidem nominis Κέρκιος unum saltem exemplum praesto est.[428]) Impudico alicui homini istud nomen Κέρκιος impositum esse crediderim.[429]) Atqui haud scio an potius sequamur Kaibelium meretricium nomen esse Κέρκιον opinatum[430]): conferas illam mulierculam nomine Κερκούριον, quae una cum amica Sami advenientes hospites despoliabat (Anth. Pal. V 44).

Timoclis Δρακόντιον.

Meretricis cognomen forsitan putetur Δρακόντιον, quod est titulus Timoclis (Mein. h. cr. 429; Ko. II 454 sq.), cf. Anaxil. fr. 22, 3 (Ko. II 270: τίς γὰρ ἢ δράκαιν' ἄμικτος ⋯ εἰς ὑπερβολὴν ἀφῖκται τοῦ καταπτύστου γένους [sc. meretricum]) et nomina scortorum, qualia sunt Λύκα, Λύκαινα (cf. adn. 143) Λεόντιον Athen. XIII 585 d. 588 b. 593 b. Ceterum nota

[426]) V. Fick-Bechtel p. 320.

[427]) *Κερκίων Κερκῖνος Κερκίδας*, cf. Fick-Bechtel p. 161. 316

[428]) Auriga Castorum sic appellatur apud Amm. Marc. XXII 8, 24; cf. Roscher lex. myth. II 1166.

[429]) Cf. Arist. Thesm. 239. Sapphus maritus Cercylas Andrius (Suid. s. v. *Σαπφώ*) e comoedia videtur enatus esse, cf. Th. Kock Alkaios und Sappho (1862) p. 24 adn.

[430]) Qui Reinesium secuti *Κερκύων* corrigere malunt (cf. Aeschyli *Κερκύων σατυρικός* Nauck T G F² p. 35 sq.; Eurip. *Ἀλόπη* ib. p. 389), eis hoc potest opponi, quod fabulam *Θησεύς* inscriptam Anaxandridem docuisse duobus certis testimoniis constat (Ko. II 142 sq.). Possunt sane contra dicere ambos illos titulos in unum *Θησεὺς ἢ Κερκύων* esse contrahendos.

sunt nomina Δράκων Δρακοντίδης Δράκαλος Δρακαλίων (cf. Fick-Bechtel p. 103); Δρακόντιος Xen. Anab. IV 8, 25; VI 6, 30.

Idem dubitanter de Aphrodisio (Ἀφροδίσιον vel Ἀφροδίσιος) Antiphanis (Mein. h. cr. 324 sq.; Ko. II 31 sqq.) annotavit Kaibelius apud P W I 2520, dubitanter de Πτερυγίῳ Philemonis (Ko. II 495) annotandum est.

Finem enumerationi tandem aliquando imponant corrupti aliquo modo vel dubii tituli hi:

Δαλίς Apollophanis (Mein. h. cr. 266 sq.; Ko. I 797), cuius fabulae duo fragmenta servavit Athenaeus: altero loco (III 114 f) cod. A exhibet δαλνίδει. Alia nominis proprii exempla, quam quod Mein. l. l. affert, mihi praesto non sunt. Urbis nomen Δαλίς est apud Diod. Sic. V 45.

Λημνομέδα Strattidis (Mein. h. cr. 231; Ko. I 717), qui titulus ut corruptus videtur ita obscurus est.

Βατύλη (?) Theopompi (Mein. h. cr. 239 sq.; Ko. I 735), quem titulum non proferrem, nisi Βαθύλλα nomen proprium esset I G II 989, 5.

Epigenis comici incerta comoediae inscriptio ad nos pervenit: Athen. III 75 c βραχχίῳ (Kaib. Βακχίῳ); id. IX 384 a Βάκχαις; id. XI 498 e Βακχίᾳ, ubi Kaibelius cum Kockio Βακχίδι correxit, lenis sane mutatio (cf. Mein. h. cr. 355; Ko. II 416 sq.): Mein. (F C G III 537 adn.) scribi voluit Βακχίας („quod viri nomen fuisse constat"). Fortasse non omnibus locis eadem fabula significatur, quae sententia esse videtur Kaibelii in ind. ed. Athen. vol. III p. 614. Temporum rationes non obstant, quominus Epigenes a Bacchide illa serva Sinopae, domina Pythionicae (cf. Ko. l. l.; Theop. apud Athen. XIII 595 a) comoediam denominasse credatur, siquidem ante annum 377 eum fabulas docuisse admodum probabile est.[431]) Cf. de

[431]) Vocat in Μνηματίῳ Pixodarum filium regis (fr. 6, Ko. II 418), itaque ante patris Hecatomni mortem (a. 377, ei Maussolus successit) comoediam scriptam esse Mein. l. l. coniecit; cf. Bergk Rh. Mus. XXXIV (1879) 329 adn. 1, et de his Carum regibus Judeich, Kleinasiat. Studien p. 226 sqq., de Pixodaro p. 251 sqq. — Cf. Niese I 64 adn. 4.

illa meretrice Wagner Diss. p. 24, Koerte Berl. phil. Woch. 1906, 901; eandem Bacchidem Alciphron nonnullas epistulas fecit scribentem et accipientem (IV 2. 3. 4. 5. 14. cf. 11 Schep.). Nomen habes etiam adesp. com. fr. 152 (Ko. III 438)[432]), Plaut. Bacch., Ter. Heaut., Hec., (Ad.): titulum Βακχίς Sopatri v. apud Kaibel C G F I 192.

In Alexidis indice Ἰασίς (Mein. h. cr. 391; Ko. II 327), qui semel legitur (in Bekk. Anecd.), utrum meretricis nomen lateat necne, nescio. Mulieris nomen Ἰάς nonnumquam invenitur: I G II 766, 31 (a. 338/7). 3159. 3801; cf. Bechtel Fr. p. 57.

E comicorum titulorum numero delendum videtur Τιτιγόνιον Alexandri (cf. Mein. h. cr. 487 sqq.; Ko. III 373), quoniam omnia huius poetae fragmenta dubitationi obnoxia sunt (cf. Kirchn. s. nr. 493). Quod nuperrime confirmatum est: nam qui apud Stob. Alexandri esse dicitur versus (fr. 5 Ko.), nunc Anaxandridi attribuitur in fragmento Florilegii Berl. Klassikertexte V 2 (1907) p. 129 (cf. de Wilamow. ad loc.). — Ceterum eo quo solo ille titulus occurrit loco (Athen. XI 496 c) in cod. legitur Ἀλέξανδρος ἐν τιγονι, ad quod Kaibelius in ind. ed. Athen. vol. III p. 569 adn. 1 annotavit: „fort. Ἀντιγόνη, ut sit tragoedia Alexandri Aetoli“, coniectura digna, quae perpendatur.

---

[432]) Cf. Helm Lucian u. Menipp p. 69 c. adn. 1.

Ad finem qui pervenerunt viatores decet sane et iuvat ad initium respicere itineris atque, quantum profecerint, secum reputare. Quaerentibus nobis, quoad etiam posterioris aetatis poetis comicis cum singulis aequalibus res fuisset, num ne illi quidem quosdam homines illudere desiissent et deridere, sub oculos cecidere tituli comoediarum ei, qui a nominibus propriis desumpti suspicionem moverent, ne ab aequalibus essent ducti. Itaque opus erat totum eorum titulorum copiam nos perlustrantes in unum quemque hac de re inquirere. Noluimus excludere veterum comoediarum similes indices, ut in unum locum omnes omnium temporum congererentur. Ordinem autem ut haberemus, quo apte totam producere possemus multitudinem, in complures classes titulos disposuimus eam quae nobis summa erat quaestionem spectantes. Igitur factum est, ut, quid de singulis indicibus iudicaremus, ipsae classes indicarent, quibus eos assignavimus.

Haud exiguus titulorum numerus erat afferendus et antiquae mediae novae comoediae exempla praesto erant. Sed licet animadvertere inprimis apud mediae comoediae poetas tales titulos in usu fuisse: in ea enim fere septimus quisque titulus a nomine proprio sumptus est, in antiqua fere undecimus quisque, in nova fere vicesimus quisque. Nec tamen omnes veteris comoediae scriptores aequam partem suarum comoediarum sic inscribebant: Cratini Cratetis Teleclidis nullus, Eupolidis Aristophanis (Maricante et Triphalete excepto) singuli tituli erant commemorandi, plures Pherecratis et Phrynichi, qui a suae aetatis comoedia abhorrebant, Platonis, quem Andronicus (Bergk ed. Ar. I p. XLII) signiferum mediae comoediae vocat, denique Strattidis Theopompi

aliorum, quorum aetas ad mediam comoediam vergit. In vetere comoedia titulos a choro desumptos permultos usurpabant (cf. Haas l. l. II p. 49 sqq.), in nova alio modo comparatos: ne exemplum desit: iam in media tales indices inveniuntur, ut, quid primaria persona in fabula vel faciat vel patiatur, participio verbi alicuius designatum sit (velut Ἀκοντιζομένη, Ἀπεγλαυκωμένος, Συναποθνήσκοντες, Κωνειαζόμεναι): sed apud Antiphanem tantummodo fere vicesimus quisque titulus huius modi est, apud Alexidem quartus decimus, at apud Philemonem Diphilum Menandrum fere quintus quisque. Vel in titulis igitur inter se differunt tres illae quae distinguuntur comoediae aetates.

Omnis generis homines — ut ad eos de quibus disseruimus titulos redeamus — nobis occurrerunt, qui sua nomina ut comoediis poetae praefigerent passi sunt: oratores aliique qui in re publica valebant viri: Ὑπέρβολος Πείσανδρος Κλεοφῶν Ῥίνων †Κινησίας[433]) Τεισαμενός (*Πάμφιλος?) *Λεπτινίσκος? *Κέφαλος? (*Θράσων?) *Πολύευκτος *Δρωπίδης; externi reges atque reginae: *Διονύσιος *Φίλιππος (*Πύρρος?) *Ἄμαστρις *Ἀρσινόη; viri artibus vel litteris vel philosophia insignes: Κόννος Καλλιππίδης †Κινησίας (*Πάμφιλος pictor?) *Πλάτων *Μοσχίων (poeta tragicus?) *Φιλίσκος? *Μνησιπτόλεμος; — vel certaminum victores: Αὐτόλυκος *Σώσιππος? *Ἄντυλλος?; homines luxuria famosi: †Παυσανίας (†Κινησίας) *Φιλωνίδης *(Ὀρεστ)αυτοκλείδης (*Πάμφιλος Chaerephili filius?): — vel alia quadam vitae condicione infames: Ζώπυρος? *Νηρεύς (coquus) *Μοσχίων *Φοινικίδης *Τελεσίας (parasiti); meretrices: Κοριαννώ? Θάλαττα? †*Παμφίλη? †*(Ἀντι)λαΐς *Φιλύρα †*Ἄντεια *Νεοττίς *Κλεψύδρα (= Μητίχη) *Νάννιον *Πλαγγών *Νέαιρα (*Θαΐς): ignoti nobis erant *Καλλωνίδης *Κλεοφάνης *Λεωνίδης *Ἀμφικράτης *Δεξιδημίδης *Ὀλυμπιόδωρος (†*Κάλλαισχρος) (*Μίδων).[434])

---

[433]) Asterisco medias novasque comoedias signavi, cruce eorum poetarum, qui vulgo antiquae comoediae accensentur, fabulas IV saeculo actas.

[434]) Nonnulli tituli meretricii a fictis mulierculis ducti essent an a poetarum aequalibus, supra dubitabam: hos denuo proferre supersedi.

Stellulis appictis videmus sat magnum titulorum numerum posteriorum poetarum fuisse, et licet saepenumero meretrices aliique homunciones obscuri illis comoediis dederint nomina, tamen non sine voluptate nos existimo comoedias, quales erant Διονύσιος Φίλιππος Πλάτων Πολύευκτος Ἀντιλαΐς, hodie esse lecturos, si forte in lucem proferrentur.

Dolendum profecto est, quod tam multi signo dubitationis erant ornandi, neque ipsi negamus nonnullos falso hic positos esse, alios, quos omisimus, ponendos. Erroribus obiectae sunt omnes, quibuscunque cum fragmentis res est, quaestiones, nec sumus obliti, quam raro in singulis ad certum finem potuerimus pervenire aut rebus ipsis impediti aut nostra inscitia.

Quas a fictis personis denominatas putavimus comoedias, quas cui classi attribueremus dubitavimus, nolumus repetere: in indicibus, qui addentur, omnes facile possunt perlustrari. Hoc autem gratum fore speramus lecturis, si eas fabulas, quarum tempora aut aliorum aut nostris coniecturis usi vel potuimus definire vel studuimus, unum in locum collectas hic in fine libelli apponemus:

c. a. 410–400?	Strattidis Καλλιππίδης (p. 24).
fin. saec. V	Archippi Ῥίνων (p. 21).
	Theopompi Τεισαμενός (p. 22 sq).
init. saec. IV?	Strattidis Μακεδόνες ἢ Παυσανίας (p. 25).
a. 390—80	Eunici vel Philylii Ἄντεια (p. 119 sqq.).
	Antiphanis Ἄντεια (p. 119 sqq.).
a. 390—80?	Ephippi Φιλύρα (p. 134).
c. a. 388	Strattidis Κινησίας (p. 28 sq.).
a. 387/6?	Anaxandridis Σώσιππος (p. 43 sq.).
c. a. 381/80	Anaxandridis Πρωτεσίλαος (p. 126).
c. a. 380—70?	Eubuli Κέρκωπες (adn. 360).

c. a. 380—70?	Nicostrati Πάνδροσος (adn. 360).
ante a. 377	Epigenis Μνημάτιον (adn. 431).
a. 375—70	Epicratis Ἀντιλαΐς (p. 145).
a. 370—65	Anaxandridis Γεροντομανία (p. 121 sqq.).
	Philetaeri Κυναγίς (p. 122 sqq.).
a. 367	Ephippi Ἄρτεμις (p. 158).
ante a. 366	Aristophontis Φιλωνίδης (p. 29 sq.).
a. 366	Eubuli Διονύσιος (p. 31 sq.).
c. a. 366	Ephippi Ὅμοιοι ἢ Ὀβελιαφόροι (p. 31 c. adn. 56).
c. a. 350—39?	Nicostrati seu Philetaeri Ἄντυλλος (p. 45).
ante a. 348 7	Aristophontis Πλάτων (p. 32 sq.).
	Alexidis Ἀγκυλίων (p. 74).
	Alexidis Ὀλυμπιόδωρος (p. 51).
	Alexidis Παράσιτος (adn. 236).
post a. 348 7	Amphidis Δεξιδημίδης (p. 51).
non ita multo post a. 345	Anaxilae Νεοττίς (p. 130).
	Alexidis Ἀγωνὶς ἢ Ἱππίσκος (p. 135).
	Alexidis Ἐπίδαυρος (Ἐπιδαύριος) (adn. 159).
c. a. 345—40	Mncsimachi Φίλιππος (p. 37 sq.).
	Antiphanis Στρατιώτης ἢ Τύχων (adn. 148).
paulo post a. 343?	Timoclis Νέαιρα (p. 136 sq.).
ante a. 342?	Antiphanis Λεπτινίσκος (p. 57).
paulo post a. 342	Antiphanis Νεοττίς (adn. 66; p. 130).
	Alexidis Στρατιώτης (adn. 148).
	Timoclis Καύνιοι (adn. 190).
non ita multo post a. 340	Timoclis Ὀρεσταυτοκλείδης (p. 34 sqq.).

paulo post a. 338	Heniochi Πόλεις? (p. 39 sq.).
a. 335—330	Axionici Τυρρηνός (adn. 190).
	Stratonis Φοινικίδης (p. 48).
a. 334—31	Antiphanis Βοιωτία (adn. 362).
ante a. 330?	Alexidis Λυκίσκος (p. 59).
non ita multo post a. 316—13	Menandri Κόλαξ (p. 133).
a. 313/12	Menandri? Ἡνίοχος (p. 103).
a. 311	Philippidis Μύστις (p. 163).
a. 306?	Alexidis Κράτεια ἢ Φαρμακοπώλης (p. 159 sq.).
c. a. 306	Alexidis Ἱππεύς (adn. 402).
	Antiphanis iun. Δίδυμοι (adn. 402).
paulo post a. 305	Menandri Ἁλιεῖς (adn. 294).
ante a. 301	Philemonis Νέαιρα (p. 137).
c. a. 284/3	Phoenicidis Αὐλητρίδες (adn. 284).
c. a. 274	Alexidis Ὑποβολιμαῖος (adn. 297).
	Posidippi Ἀρσινόη (p. 112 sq.).

Addenda.

Ad. p. 90 sqq.: Arnoldus Hug in ed. Plat. Conv.² praef. p. XLI sq., quo de loco Hermannus Schoene me monuit, post Spengelium (v. supra adn. 233) et Bergkium Alexidi fr. 245 Ko. certos Platonis Conv. locos obversatos esse affirmavit: „Zu V. 6—16 vgl. besonders aus der Rede des Sokrates die Belehrungen der Diotima über das Doppelwesen des Eros 203 D ff.; V. 3 ff. der ironische Tadel gegen die Maler und sonstige künstlerische Darsteller des Eros bezieht sich auf 204 C.“ Sed isto loco hoc tantum Diotima dicit Socrati: *ὃν δὲ σὺ ᾠήθης Ἔρωτα εἶναι, θαυμαστὸν οὐδὲν ἔπαθες. ᾠήθης δέ, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ τεκμαιρομένη ἐξ ὧν σὺ λέγεις, τὸ ἐρώμενον ἔρωτα εἶναι, οὐ τὸ ἐρῶν. διὰ ταῦτά σοι, οἶμαι, πάγκαλος ἐφαίνετο ὁ Ἔρως κτλ.*: locus communis autem comicorum videtur fuisse illa pictorum in effingendo Amore reprehensio: cf. Eubul. fr. 41 (Ko. II 178 = Ath. XIII 562 c d), Alex. fr. 20 (Ko. II 305 = Athen. 562 d e), e philosophia aequali, id quod minime nego, petita. Quamquam concedo quasdam similitudines intercedere inter Alex. v. 6 sq. *ἔστιν (Ἔρως) . . . . οὔτε θεὸς οὔτ' ἄνθρωπος* et Plat. Conv. 202 E *μεταξὺ θνητοῦ καὶ ἀθανάτου* (sc. *ὁ Ἔρως ἐστίν*), cf. 203 D *οὔτε ὡς ἀθάνατος πέφυκεν οὔτε ὡς θνητός*, atque inter Alex. v. 7 sq. *οὔτ' ἀβέλτερος οὔτ' αὖθις ἔμφρων* et Plat. 203 E *σοφίας τε καὶ ἀμαθίας ἐν μέσῳ ἐστίν*, tamen consideranti mihi plerosque Socratis discipulos de amore philosophatos esse (enumerantur scripta a Guilielmo Winckelmann in ed. Plutarch. Erot. p. 96 sq.; cf. Rohde Griech. Rom.², p. 60), nondum videtur constare ipsos illos locos Platonicos respexisse Alexidem.

Ad p. 150: Libellis V. H. Foersteri, qui sunt de olympionicis (Progr. Zwickau 1891 et 1892), uti non potui. In catalogo olympionicarum, quem praebet J. H. Krause, Olympia (Vindob. 1838) p. 236 sqq., nullus invenitur Aristoteles. Eubatum et Eubotam ibi vide p. 282 sqq.

Ad Ephippi Ἄρτεμιν p. 157 sq.: Cf. Meyersahm, Deorum nomina hominibus imposita (Diss. Kil. 1891) p. 7 sqq.

Erratum.

P. 11 adn. v. 11 delendum est „Donat. ad 5, 5, 1.“

INDEX*)

1. comoediarum.

*) Ut ex indice cognosci possit, quid de uno quoque titulo iudicaverimus, singulis titulis singulos numeros appingemus, atque I numero eos signabimus, qui a certis hominibus sumpti videbantur, II eos, qui a fictis personis, III, qui a cognominibus, IVa eos, qui quamquam sunt nomina propria non huc pertinent, IVb, qui non videbantur nomina propria esse. — Duos numeros si uni titulo appictos videbis, intelleges nos dubitasse, utram in classem eum insereremus.

2. poetarum.

Cephisodori *'Αντιλαΐς* I (p. 141 sqq.); — *Ὗς* III? (p. 156).
Cratini iun. *Θηραμένης?* (p. 108 sq.).

Dioclis *Θάλαττα* I II (p. 114 sqq.).
Diphili *Τελεσίας* I (p. 51 sq.); *Ἄμαστρις* I (p. 111 sq.); *Τιθραύστης* (I) (p. 94 sq.); — *Συνωρίς* I II (p. 138 sq.); — *Αἱρησιτείχης* III (p. 80 sq.); — *Πύρρα* II (IVb) (p. 167).

Ephippi *Φιλύρα* I (p. 134); — *Κύδων* I II (p. 64); — *Ἄρτεμις* II IVa (p. 157 sq.).
Epicratis *'Αντιλαΐς* I (p. 141 sqq.).
Epigenis *Βακχίς?* I II (p. 169 sq.).
Epinici *Μνησιπτόλεμος* I (p. 41 sq.).
Eubuli *Διονύσιος* I (p. 31 sq.); *Νάννιον* I (sive Philippi; p. 131 sqq.); *Νεοττίς* I (p. 130); *Πλαγγών* I (p. 133 sq.); — *Πάμφιλος* I II (p. 61 sqq.); *Παρμενίσκος* I II (p. 63); *Χρύσιλλα* I II (p. 134); — *'Αγκυλίων* III (p. 74 sq.); *Καμπυλίων* III (sive Ararotis; p. 78); *Κλεψύδρα* III (p. 131); — *Ὀλβία* I II IVb (p. 167); *Προσουσία ἢ Κύκνος* I II IVb (p. 166); — *Γλαῦκος* IVa (p. 100); — *Παννυχίς* IVb (p. 161 sq.).
Eunici *Ἄντεια* I (sive Philyllii; p. 119 sqq.).
Euphronis *ΑΙΣΧΡΑ* II IVb (p. 167).
Eupolidis *Αὐτόλυκος* I (p. 15 sqq.); — *Μαρικᾶς* III (p. 73).

Hegemonis *Φιλίνη* I II (p. 119).
Hegesippi *Φιλέταιρος* IVb (p. 103 sq.).
Heniochi *Πολύευκτος* I (p. 38 sqq.); — *Τροχίλος* III (p. 80); — *Φιλέταιρος* IVb (p. 103 sq.); — *Θωρυκίων?* (p. 109).
Hipparchi *Θαΐς* II (p. 140); — *Παννυχίς* IVb (p. 161 sq.).

Menandri *Θαΐς* (I) II (p. 139 sq.); *Θρασυλέων* II (p. 71); *Ὑμνίς* II (p. 140); *Φανίον* II (p. 141); *Δάρδανος* II (IVa) (p. 100); — *Ἡνίοχος* II IVb (p. 101 sqq.); *Θετταλή* II IVb (p. 168); *Χαλκίς* II IVb (p. 166).
Metagenis *Μαμμάκυθος* III (sive Platonis sive Aristagorae; p. 76).
Mnesimachi *Φίλιππος* I (p. 36 sqq.); — *'Αλκμέων* IVa (p. 96 sq.).

Nicostrati *Ἄντυλλος* I (sive Philetaeri; p. 44 sq).; — *Σύρος* II IVb (p. 107); — *Οἰνοπίων* III IVa (sive Philetaeri; p. 100 sq.); — *Ἅβρα* IVb (adn. 423).

Ophelionis *Κάλλαισχρος* I II (p. 52 sq.); — *Μονότροπος* III? (p. 71); — *'Ιάλεμος* III IVb (p. 105).

Pherecratis *Ἐπιλήσμων ἢ Θάλαττα* I II (p. 114 sqq.); *Κοριαννώ* I II (p. 114); — *Πετάλη* II (p. 116 sq.); — *'Ιπνὸς ἢ Παννυχίς* IVb (p. 161 sq.)

VITA.

Theodoro Breitenbach Selma Buser parentibus natus sum Hermannus Theodorus Breitenbach, nunc Basiliensis, Nonis Septembribus anni 1883 in vico, cui nomen est Hagelloch, prope Tubingam urbem sito, ubi pater ecclesiae evangelicae ministerio fungebatur. Quo duobus annis post praematura morte uxori liberisque erepto mater cum suis Tubingam transmigravit ibique in ludo publico primis eruditionis elementis instructus gymnasium frequentabam. Anno 1901 cum Basileam, in patriam matris, domicilium transferremus, per unum annum ut gymnasii Basiliensis discipulus essem, concessum est. Insequente anno maturitatis testimonium adeptus in numerum civium academiae Basiliensis sum receptus atque studiis philologicis et germanicis deditum hi docuere viri docti:

A. Baumgartner, E. Bethe, C. Cornelius, B. Duhm, Fr. Heman, E. Hoffmann-Krayer, C. Joel, A. Koerte, J. Meier, Fr. Muenzer, C. Reinle, H. Schoene, F. Sommer, P. Wernle.

Seminarii philologici rectoribus Erico Bethe, Alfredo Koerte, Friderico Muenzer, Ferdinando Sommer per quinque semestria fui sodalis.

In seminario germanico per sex semestria Joannis Meier, per unum Eduardi Hoffmann-Krayer disciplina frui mihi licuit.

Praeterea ad exercitationes me admiserunt Fr. Heman, C. Joel, H. Schoene.

Omnibus praeceptoribus, qui et in gymnasiis et in academia me docuerunt, magnam habeo gratiam; inprimis Alfredo Koerte et Hermanno Schoene gratias ago, quorum ille in comicos inquirendi auctor mihi fuit, uterque in conscribenda dissertatione benigne me adiuvit.